DE PLVTARCHI IN VITIS BRVTI ET ANTONII FONTIBVS.

DISSERTATIO HISTORICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE

FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PVBLICE DEFENDET

DIE XII. MENS. MARTII A. MDCCCLXXIV

CAROLVS WICHMANN

KILIENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

AVGVSTVS HAAKE, CAND. PHIL.
PAVLVS NATORP, SEM. PHIL. SOD. ORD.
FR. REHORN, CAND. THEOL.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI.

ARNOLDO SCHAEFERO

PIETATIS ERGO.

Caesar Augustus omnibus adversariis remotis Antonioque apud Actium devicto postquam summum imperium unus prudentissimus et fortunatissimus assecutus est, rem publicam longa serie discordiarum civilium perturbatam optimis administrandi rationibus in ordinem redegit et denuo constituit. Neque minore cura ad literarum studia colenda et augenda eum incubuisse quis nescit? Attamen ex omnibus antiquitatis literarum disciplinis, quae cum multi summam rerum concupiscerent floruerant, duae potissimum, eloquentia et historia, republica in unius potestatem redacta ita immutatae atque afflictae sunt, ut numquam apud Romanos ad pristinam vim et libertatem resurgerent. Antea enim neque orator in curia, in comitiis, in foro minas vel probra in adversarium iactare dubitaverat, neque historiarum scriptor caverat, ne nimio partium suarum studio permotus memoriam rerum gestarum exornaret aut corrumperet: Augusto autem necessario providendum erat, ne ipse talibus armis lacesseretur, nisi forte bellis intestinis vix tandem sedatis novum tumultum moveri ipse volebat. Inde factum est, etiamsi ad severissima consilia processum non erat, ut libertas et licentia historiae exstingueretur excitareturque molestia ac metus in animis scribentium. Itaque qui neque alio nisi suomet iudicio atque consilio usi neque veriti, ne inimicorum animos offenderent, aequalem suae aetatis memoriam illustraverant, paullatim obmutuerunt, alii ad ultimae antiquitatis tenebras

discutiendas maiorumque laudes celebrandas refugerunt, alii principis voluntati obsecuti vel adulatione foedissima gratiam aucupati sunt. Quamquam igitur inter eos qui illo tempore in artium liberalium studiis doctrinisque versarentur, nonnullos fuisse concedendum est, qui suarum factionum commodo inservientes rerum a semet ipsis gestarum commentarios scriberent, tamen multo maiorem quis ignorat fuisse numerum eorum, qui aut a primordiis omnes res populi Romani vel aliorum populorum literis mandarent, aut ex rerum ubertate et abundantia singulas partes accuratius describendas sibi deligerent, aut in literis mediocribus quidem, sed tunc studiose expetitis versati dicta factaque memorabilia conquirerent?

Neque in paucitate scriptorum, sed in fortunae iniquitate, qua summam librorum copiam subversam esse aegre ferimus, causa nobis quaerenda est, cur multarum rerum recordatio et accuratior notitia usque ad nostram aetatem non pervenerit. Is enim, qui nunc in historia illius temporis, quo summa gubernatio rerum Romanarum ad unius imperium rediit, explicanda et enarranda elaboret, ut omittam inscriptiones atque nummos, nullis aliis fontibus niti potest nisi Caesaris commentariis et Ciceronis orationibus et epistolis, ex quibus, quae ubique disiecta colligenda sunt, ad pueritiam tantum et adolescentiam Caesaris Octaviani pertinent; tum refugiendum est ad Livii epitomas exiles, ad fragmenta Nicolai Damasceni non pridem in lucem provocata, ad Velleium et Suetonium, ad alios insequentis aetatis scriptores, denique ad Plutarchum, Appianum, Cassium Dionem, qui auctoritatem eorum librorum secuti, quos nobis res adversae invidisse videntur, vitas et historias composuerunt. Vestigia quidem multorum aliorum scriptorum inveniuntur, sed saepe nomina tantum nota sunt, quo tempore autem vixerint, ex quo initio usque ad quem finem res gestas perscripserint, a cuius parte steterint nescimus.

In hoc tot subsidiorum naufragio posita est summa difficultas, in qua ego quoque versor: nam propositum mihi est per-

scrutari, quibus auctoribus Plutarchus in vitis Antonii et Bruti describendis usus sit. Omnium enim quos in his libris componendis duces sibi elegerit, ne unum quidem nostra aetate exstare mihi persuasum est.

Accedit alia magnae difficultatis causa. Etenim Augusti vita, quam Plutarchus scripsit, intercidit, quo factum est, ut de iis Antonii et Bruti vitarum partibus, in quibus, quae in illa vita haud dubie accuratius narrata erant, paucis verbis repetita sunt, aliquid certi proferri vix possit. Quae vita quanto usui nobis fuisset, inde apparebit, quod ex ceteris Plutarchi vitis, quae ad idem tempus pertinent, permulta de hoc ipso argumento discimus.

Sed priusquam ad rem ipsam transgrediar, ut viam ac rationem quam inire statui breviter indicem, separatim primum vitam Bruti, deinde Antonii, nisi quae ita inter se cohaerent, ut ea seiungere a re alienum esse videtur, pertractabo.

I.

Ac prima quidem capita, in quibus Plutarchus quae de Bruti maioribus, de matre Servilia, de educatione atque doctrina comperta habebat, narravit, paucis absolvere licet. Nihil enim est, quocum conferamus, quae ut fere omnium Plutarchi vitarum prima capita ex diversissimis locis conquisita esse videntur. Tertium tantum caput, quod vitae Catonis capiti tricesimo sexto comparandum est, ex eodem fonte haustum esse putaverim atque totam illam vitam, qua in scribenda Plutarchum Thrasea Paeto duce usum esse iam alii recte demonstraverunt.

Sed inde ab capite quinto et ab iis vitarum Caesaris et Antonii capitibus, quae ad easdem res spectant, plurima reperiuntur, quae cum Appiani libris mirum in modum consentiant. Sunt autem potissimum haec:

Plut. vit. Bruti 5, 1 [1]).

Λέγεται δὲ καὶ Καῖσαρ οὐκ ἀμελεῖν τοῦ ἀνδρός, ἀλλὰ καὶ προειπεῖν τοῖς ὑφ' ἑαυτὸν ἡγεμόσιν ἐν τῇ μάχῃ μὴ κτείνειν Βροῦτον, ἀλλὰ φείδεσθαι καὶ παρασχόντα μὲν ἑκουσίως ἄγειν, εἰ δέ ἀπομάχοιτο πρὸς τὴν σύλληψιν, ἐᾶν καὶ μὴ βιάζεσθαι· καὶ ταῦτα ποιεῖν τῇ μητρὶ τοῦ Βρούτου Σερβιλίᾳ χαριζόμενος. Ἐγνώκει γὰρ, ὡς ἔοικε, νεανίας ὢν ἔτι τὴν Σερβιλίαν ἐπιμανεῖσαν αὐτῷ, καὶ καθ' οὓς μάλιστα χρόνους ὁ ἔρως ἐπέφλεγε γενόμενον τὸν Βροῦτον ἐπέπειστό πως ἐξ ἑαυτοῦ γεγονέναι.

v. Br. 7, 1.

Ἐπεὶ δὲ πλειόνων στρατηγιῶν οὐσῶν τὴν μέγιστον ἔχουσαν ἀξίωμα, καλουμένην δὲ πολιτικὴν ἐπίδοξος ἦν ἢ Βροῦτος ἕξειν ἢ Κάσσιος, οἱ μὲν αὐτοὺς λέγουσιν ἐξ αἰτιῶν προτέρων ἡσυχῇ διαφερομένους ἔτι μᾶλλον ὑπὲρ τούτου διαστασιάσαι . . . . οἱ δὲ Καίσαρος ἔργον γενέσθαι τὴν φιλονεικίαν

Appian. bell. civ. II, 112, 31.

διὸ καὶ νικῶν ἐν Φαρσάλῳ, μετὰ σπουδῆς λέγεται τοῖς ἡγεμόσιν εἰπεῖν Βροῦτον ὅπῃ δύναιντο περισώζειν.

II. 112, 29.

καὶ γὰρ αὐτῷ καὶ παῖς ἐνομίζετο εἶναι, Σερουιλίας τῆς Κάτωνος ἀδελφῆς ἐρασθείσης τοῦ Καίσαρος ὅτε ὁ Βροῦτος ἐγίγνετο.

II. 112, 20.

μέλλοντες δὲ ὁμοῦ τότε τῆς πόλεως στρατηγήσειν ὅ Βροῦτος καὶ ὁ Κάσσιος, ἐς ἀλλήλους διήριζον περὶ τῆς καλουμένης πολιτικῆς στρατηγίας, ἣ τῶν ἄλλων προτιμᾶται, εἴτε τῷ ὄντι φιλοτιμούμενοι περὶ αὐτήν, εἴθ' ὑπόκρισις ἦν τοῦ μὴ πάντα συμπράσσειν ἀλλήλοις νομίζεσθαι. καὶ ὁ

1) Plutarchi et Appiani capita et versus semper attuli ex Sintenis et Bekkeri editionibus Teubnerianis.

ταύτην ἑκατέρῳ κρύφα δι' ἐλπίδων ἐνδιδόντος ἑαυτόν, ἄχρι οὗ προαχθέντες οὕτω καὶ παροξυνθέντες εἰς ἀγῶνα κατέστησαν .... Καῖσαρ δ' ἀκούσας καὶ βουλευόμενος ἐν τοῖς φίλοις εἶπε· „Δικαιότερα μὲν λέγει Κάσσιος, Βρούτῳ δὲ τὴν πρώτην δοτέον.“ .... Βροῦτος δὲ καὶ τἆλλα μετεῖχε τῆς Καίσαρος δυνάμεως ὅσον ἐβούλετο.

Καῖσαρ αὐτοῖς διαιτῶν λέγεται πρὸς τοὺς φίλους εἰπεῖν ὡς τὰ μὲν δίκαια Κάσσιον ἀποφαίνοι, Βρούτῳ δ' αὐτὸς χαρίζοιτο. τοσῇδε ἐν ἅπασιν εὐνοίᾳ καὶ τιμῇ πρός τὸν ἄνδρα ἐχρῆτο.

Plut. v. Br. 10, 29.

καὶ μετὰ τὰς διαλύσεις καὶ φιλοφροσύνας [Κάσσιος Βροῦτον] ἠρώτησεν, εἰ τῇ νουμηνίᾳ τοῦ Μαρτίου μηνὸς ἔγνωκεν εἰς σύγκλητον παρεῖναι· πυνθάνεσθαι γὰρ ὡς λόγον ὑπὲρ βασιλείας Καίσαρος οἱ φίλοι τότε καθήσοιεν. Φήσαντος δὲ τοῦ Βρούτου μὴ παριέναι „Τί οὖν“ εἶπεν ὁ Κάσσιος, „ἂν καλῶσιν ἡμᾶς;“ „Ἐμὸν ἔργον“ ἔφη ὁ Βροῦτος „ἤδη τὸ μὴ σιωπᾶν, ἀλλ' ἀμύνειν καὶ προαποθνήσκειν τῆς ἐλευθερίας.“ Καὶ ὁ Κάσσιος ἐπαρθείς. „Τίς δ'“ εἶπε „Ῥωμαίων ἀνέξεται σοῦ προαποθνήσκοντος; ἆρα

App. II. 113, 13.

ἀκμάζοντος δ' ἔτι τοῦ περὶ τῆς βασιλείας λόγου, καὶ συνόδου μελλούσης ἔσεσθαι τῆς βουλῆς μετ' ὀλίγον, ὁ Κάσσιος ἐμβαλὼν τὴν χεῖρα τῷ Βρούτῳ „τί ποιήσομεν“ ἔφη „παρὰ τὸ βουλευτήριον, ἂν οἱ κόλακες τοῦ Καίσαρος γνώμην περὶ βασιλείας προθῶσιν;“ καὶ ὁ Βροῦτος οὐκ ἔφη παρέσεσθαι τῷ βουλευτηρίῳ. ἐπανερομένου δὲ τοῦ Κασσίου „τί δ', ἂν ἡμᾶς καλῶσιν ὡς στρατηγούς, τί ποιήσομεν, ὦ ἀγαθὲ Βροῦτε;“ „ἀμυνῶ τῇ πατρίδι“ ἔφη „μέχρι θανάτου.“ καὶ ὁ Κάσσιος αὐτὸν ἀσπασάμενος „τίνα δ'“ ἔφη „σὺ

ἀγνοεῖς ὦ Βροῦτε, σεαυτόν; ἢ τὸ βῆμά σου δοκεῖς καταγράφειν τοὺς ὑφάντας καὶ τοὺς καπήλους, οὐχὶ τοὺς πρώτους καὶ κρατίστους ταῦτα ποιεῖν, παρὰ μὲν τῶν ἄλλων στρατηγῶν ἐπιδόσεις καὶ θέας καὶ μονομάχους, παρὰ σοῦ δὲ ὡς ὄφλημα πατρικὸν τὴν κατάλυσιν τῆς τυραννίδος ἀπαιτοῦντας, αὐτοὺς δ' ὑπὲρ σοῦ πάντα πάσχειν προθύμους ὄντας, οἷον ἀξιοῦσι καὶ προςδέχονται φανέντος;" Ἐκ τούτου περιβαλὼν τὸν Βροῦτον ἠσπάζετο, καὶ διαλυθέντες οὕτως ἐτρέποντο πρὸς τοὺς φίλους.

προσλήψῃ τῶν ἀρίστων, οὕτω φρονῶν; ἢ σοι δοκοῦσιν οἱ χειροτέχναι καὶ κάπηλοι καταγράφειν σου τὸ δικαστήριον ἀσήμως μᾶλλον ἢ οἱ Ῥωμαίων ἄριστοι, παρὰ μὲν τῶν ἄλλων στρατηγῶν θέας αἰτοῦντες ἵππων ἢ θηρίων, παρὰ δὲ σοῦ τὴν ἐλευθερίαν ὡς σὸν προγονικὸν ἔργον;" οἱ μὲν δὴ τάδε ἄρα ἐκ πολλοῦ διανοούμενοι, τότε πρῶτον ἐς τὸ φανερὸν ἀλλήλοις προύφερον . . . .

Plut. v. Br. 12, 25 p. 60.

Ἐκ τούτου διαπειρώμενοι κρύφα τῶν γνωρίμων οἷς ἐπίστευον ἀνεκοινοῦντο καὶ προςελάμβανον, οὐ μόνον τῶν συνήθων ποιούμενοι τὴν αἵρεσιν, ἀλλ' ὅσους ἠπίσταντο τολμητὰς ὄντας ἀγαθοὺς καὶ θανάτου καταφρονητάς.

App. II. 113, 30.

καὶ τῶν ἰδίων ἑκάτερος φίλων ἀπεπειρῶντο, καὶ τῶν αὐτοῦ Καίσαρος, οὓς εὐτολμοτάτους ἑκατέρων ᾔδεσαν.

v. Br. 12, 23 p. 61.

Καὶ μήθ' ὅρκον συνομόσαντες μήτε πίστιν καθ' ἱερῶν λαβόντες ἢ δόντες οὕτως ἅπαντες ἔσχον ἐν ἑαυτοῖς καὶ κατεσιώ-

II. 114, 9.

συνέθεντο μὲν ἀλλήλοις ἄνευ τε ὅρκων καὶ ἄνευ σφαγίων, καὶ οὐδεὶς μετέθετο οὐδὲ προύδωκε.

πησαν καὶ συνδιήνεγκαν.

Plut. v. Br. 18. p. 67, 6.

Καὶ τοῖς μὲν ἄλλοις πᾶσιν, ὁπηνίκα διεσκοποῦντο τὴν πρᾶξιν, ἤρεσκεν Ἀντώνιον ἐπισφάττειν Καίσαρι, μοναρχικὸν ἄνδρα καὶ ὑβριστήν, ἰσχύν τε πεποιημένον ὁμιλίᾳ καὶ συνηθείᾳ πρὸς τὸ στρατιωτικόν, καὶ μάλισθ' ὅτι τῷ φύσει σοβαρῷ καὶ μεγαλοπράγμονι προσειλήφει τὸ τῆς ὑπατείας ἀξίωμα τότε Καίσαρι συνάρχων. Ἀλλὰ Βροῦτος ἐνέστη....

App. II. 114, 24.

περὶ δὲ τοῦ τρόπου διεφέροντο, οἳ μὲν καὶ Ἀντώνιον συναναιρεῖν ἀξιοῦντες, ὕπατόν τε ὄντα σὺν τῷ Καίσαρι καὶ φίλον αὐτοῦ δυνατώτατον καὶ τοῖς στρατιώταις γνωριμώτατον· ὁ δὲ Βροῦτος ἔλεγεν·

vit. Caes. 63, 13.

Πρὸ μιᾶς δὲ ἡμέρας Μάρκου Λεπίδου δειπνίζοντος αὐτὸν ἔτυχε μὲν ἐπιστολαῖς ὑπογράφων, ὥσπερ εἰώθει, κατακείμενος· ἐμπεσόντος δὲ λόγου, ποῖος ἄρα τῶν θανάτων ἄριστος, ἅπαντας φθάσας ἐξεβόησεν „Ὁ ἀπροσδόκητος."

II. 115, 1.

ὁ δὲ Καῖσαρ πρὸ μιᾶς τοῦδε τοῦ βουλευτηρίου χωρῶν ἐπὶ δεῖπνον ἐς Λέπιδον τὸν ἵππαρχον, ἐπήγετο Δέκμον Βροῦτον Ἀλβῖνον ἐς τὸν πότον, καὶ λόγον ἐπὶ τῇ κύλικι προύθηκε, τίς ἄριστος ἀνθρώπῳ θάνατος, αἱρουμένων δὲ ἕτερα ἑτέρων αὐτὸς ἐκ πάντων ἐπῄνει τὸν αἰφνίδιον.

v. Br. 15, 10.

Δεύτερον δὲ Κάσκᾳ τῶν συνειδότων ἑνὶ προςελθών τις καὶ λαβόμενος τῆς δεξιᾶς „Σὺ μέν" εἶπεν

II. 115, 22.

καί τις, αὐτῶν ὧδε ἐχόντων, τῆς Κάσκα χειρὸς λαβόμενος εἶπε „σὺ μὲν ὄντα με φίλον ἀπέκρυψας,

„ἀπεκρύψω τὸ ἀπόρρητον, ὦ Κάσκα, πρὸς ἡμᾶς, Βροῦτος δέ μοι πάντα μεμήνυκεν.“ Ἐκπλαγέντος δὲ τοῦ Κάσκα γελάσας ἐκεῖνος „Πόθεν“ ἔφη „ταχέως οὕτως, ὦ μακάριε, πεπλούτηκας, ὥστ' εἰς ἀγορανομίαν ἀποδύεσθαι;“ Παρὰ τοσοῦτον μὲν ὁ Κάσκας ἦλθε σφαλεὶς ἀμφιβολίᾳ προέσθαι τὸ ἀπόρρητον· αὐτὸν δὲ Βροῦτον καὶ Κάσσιον ἀνὴρ βουλευτικὸς Ποπίλιος Λαίνας ἀσπασάμενος προθυμότερον καὶ ψιθυρίσας ἠρέμα „Συνεύχομαι“ φησὶν „ὑμῖν ἐκτελεῖν ἃ κατὰ νοῦν ἔχετε καὶ παρακελεύομαι μὴ βραδύνειν· οὐ γὰρ σιωπᾶται τὸ πρᾶγμα.“ Καὶ ταῦτ' εἰπὼν ἀπέστη πολλὴν ὑποψίαν ἐμβαλὼν τοῦ πεπύσθαι τὴν πρᾶξιν.

Βροῦτος δ' ἀνήνεγκέ μοι.“ καὶ ὁ μὲν Κάσκας ὑπὸ τοῦ συνειδότος ἄφνω τεθορύβητο, ὁ δ' ἐπιμειδιάσας ἔφη „πόθεν οὖν ἔσται σοι τὰ χρήματα τῆς ἀγορανομίας;“ καὶ ὁ Κάσκας ἀνήνεγκεν. αὐτὸν δὲ Βροῦτον καὶ Κάσσιον σύννους τε ὄντας καὶ συλλαλοῦντας ἀλλήλοις τῶν τις βουλευτῶν ἐπισπάσας, Ποπίλιος Λαίνας, ἔφη συνεύχεσθαι περὶ ὧν ἔχουσι κατὰ νοῦν, καὶ παρήνει ἐπιταχύνειν. οἳ δὲ ἐθορυβήθησαν μέν, ὑπὸ δὲ ἐκπλήξεως ἐσιώπων.

Conferas denique simillimas narrationes eius colloquii, quod cum Caesare Popilius Laenas habuit (Plut. v. Br. 16. App. II. 116, 11). Omnino in tota coniuratione qua Caesar interfectus est enarranda et res et ordinem rerum Plutarchum (v. Br. 7—17, v. Caes. 62—66) et Appianum (II, 111—117) mirum in modum inter se consentientes tradidisse negari prorsus nequit. Sed Plutarchus et rerum traditarum copia et narrationis ubertate Appiano praestat. Nam si paucissima exceperis, omnia fere in his capitibus ab Appiano tradita apud Plutarchum leguntur, neque pauca ab hoc narrata apud

illum desiderantur. Neque tamen Appianum ex Plutarcho hausisse coniici licet, primum quia pauca a Plutarcho praetermissa Appianus tradidit, velut c. 113 nonnulla coniuratorum nomina. c. 115 ludos in theatro Pompei institutos. c. 116 Caesarem falsae in Iberia vaticinationis memorem Idibus Martiis vatem contempsisse: deinde quia, etsi in tota narratione inter se congruunt, tamen discrepant paucis in rebus singulis, velut in cap. 115 (cf. supra p. 7), ubi Caesarem apud Lepidum cenantem subitam mortem optimam esse dixisse narrant. Aliae discrepantiae inveniuntur in cap. 116, quarum maxime de ea, quam in narratione de Artemidoro perspicimus, disputandum est, ex qua neque Appianum Plutarchi vitis usum esse, neque Plutarcho auctorem, ex quo Appianus narrationem dissentientem deprompsit, ignotum fuisse luculentissime apparet. Nam postquam Artemidorum Caesari in curiam proficisenti tabulam obtulisse, cuius legendae illi tempus deesset, Plutarchus in vita Caes. 65 retulit, addita sunt haec verba: *Ἔνιοι δέ φασιν ἄλλον ἐπιδοῦναι τὸ βιβλίον τοῦτο, τὸν δ' Ἀρτεμίδωρον οὐδὲ ὅλως προςελθεῖν, ἀλλ' ἐκθλιβῆναι παρὰ πᾶσαν τὴν ὁδόν.* Id ipsum autem, non Artemidorum sed alium hominem nuntium fuisse, legimus apud Appianum (II. 116), qui si unum Plutarchum ducem secutus esset, qua re adduci potuit, ut quam narrationem subtilius traditam invenit, repudiaret et praeferret eam, quae breviter attacta erat?

In utroque auctore complurium fontium vestigia exstare discimus ex App. II. 116 *ὡς ἕτεροι λέγουσιν*, et e Plut. l. l. *Ἔνιοι δέ φασιν* et vit. Caes. 63, ubi Strabo et Livius citati sunt. Etiam is auctor, quem primarium ducem habuit, ab ipso Plutarcho nominatus esse videtur. Scribit enim haec vit. Br. 2: *Ὁ δ' Ἔμπυλος, οὗ καὶ αὐτὸς ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς καὶ οἱ φίλοι μέμνηνται πολλάκις ὡς συμβιοῦντος αὐτῷ, ῥήτωρ ἦν καὶ καταλέλοιπε μικρὸν μέν, οὐ φαῦλον δὲ σύγγραμμα περὶ τῆς Καίσαρος ἀναιρέσεως, ὃ Βροῦτος ἐπιγέγραπται.* Quo loco adducti iam alii, in quorum numero sunt Heerenius (de fontibus et auctoritate Plutarchi, Gott. 1820, p. 173) et

Hermannus Peter (de vitarum Romanorum Plutarchi fontibus, Halae 1850 p. 140) totam narrationem de nece Caesaris ex hoc Empylo sumptam esse recte intellexisse videntur. Quamquam enim de Empylo notum aliud non habemus nisi quod Plutarchus hoc loco dicit — coniectura enim Baehrii (Paulyi Realencyclopaedia III, 133) eum esse illum Rhodium rhetorem, cuius Quintilianus Inst. orat. X, 6, 4 mentionem faciat, probabilis quidem esse videtur, sed ad rem quam nos quaerimus perspiciendam parum valet — tamen ex loco citato, quo commentarius de Caesaris morte ab Empylo Bruti amico Brutus inscriptus esse narratur, illum rebus amici favisse Brutoque in libello sive partes priores sive non inferiores quam Caesari dedisse satis apparet. Idem Plutarchum fecisse facile intelliges, si duas illas de Caesaris morte narrationes ex vitis Bruti et Caesaris in unam conflaveris. Nam sex tantum capita ad virum occisum, decem ad coniurationis principem spectant. Porro si Empylum rhetorem fuisse consideramus, optime intellegitur, cur ex philosophia et rhetorica in Plutarchi descriptionem quaedam influxerint, quae ut maxime in vit. Br. 7—10, et 12 cum rerum gestarum narratione ita mixta, ut solvi nullo modo possint, auctorem non ex suis adiecisse sed ex scriptore quo usus est hausisse certum est. Neque illud videtur neglegendum esse, quod multarum rerum, quarum sola apud Plutarchum mentio exstat, si quisquam Empylus Bruti amicus, notitiam habere potuit. His omnibus quae commemoravimus demonstratur capita de quibus adhuc disseruimus (Plut. vit. Br. 7—17, v. Caes. 62—66) summa ex parte petita esse ex Empyli libello.

Reliquum est, ut quaeramus, quomodo illa inter Appianum et Plutarchum similitudo explicanda sit. Wijnnius in libro quem de fide et auctoritate Appiani in bellis Romanorum civilibus enarrandis, Gron. 1855 scripsit, Livium et Caesarem et Asinium Pollionem duces Appiani in libro secundo fuisse existimat. Quibus de causis argumentationi Wijnnii ego non assentirer, si accurate exponerem, longius ab incepto traherer. Hic sufficiat dicere Wijnnium mihi non

persuasisse Livium et Caesarem ab Appiano adhibitos esse. Verum maiore spe recti reperiendi ea opinio, qua Appianum Asinii vestigia pressisse iudicavit, defendi posse videtur. De Asinio cf. Thorbeckium in commentatione de C. Asinii Pollionis vita et studiis doctrinae Lugd. B. 1820. Semel enim ipsius verba Asinii Appianus posuit B. C. II. 82, 30 *ἐκ δὲ τῆς ἄλλης στρατιᾶς οἱ μὲν ἐπαίροντές φασι δισμυρίους ἐπὶ πεντακισχιλίοις, Ἀσίνιος δὲ Πωλίων, ὑπὸ Καίσαρι τῆς μάχης ἐκείνης στρατηγῶν, ἑξακισχιλίους ἀναγράφει νεκροὺς εὑρεθῆναι τῶν Πομπηΐου.* Idem legimus apud Plutarchum vit. Pomp. 72, 8 *στρατιώτας δὲ μόνους ἑξακισχιλίους πεσεῖν φησιν Ἀσίννιος Πολλίων, μεμαχημένος ἐκείνην τὴν μάχην μετὰ Καίσαρος.* et iterum vit. Caes. 46, 27 paulo supra nomine Asinii addito *στρατιώτας δὲ μὴ πλείους ἑξακισχιλίων πεσεῖν.* Quodsi duo scriptores eodem loco eadem verba ante ab alio quodam scripta referunt, id interdum recte ita explicari videtur, ut non ex illo ipso sed ex alio quodam auctore qui illa verba iam transscripserit utrumque hausisse statuamus. Hic autem alio modo rem expediamus necesse est. Dicit enim Appianus (II, 70) in pugna Pharsalica enarranda omissis aliis parum inter se consentientibus gravissimos Romanorum potissimum scriptores se secutum esse. Ex quibus si paucis capitibus interiectis (II. 82) unius auctoris nomen affert, quis dubitat quin Appianus Asinium nominatim laudatum ante oculos habuerit? Quamquam igitur huius potissimum auctoritati Appianum multum tribuisse Schweighaeuserus in editione Appiani III. p. 763 recte iudicavit, in hac re causam positam esse non arbitror, cur hoc loco et Appianus et Plutarchus ad Asinii verba provocaverint. Licet fortasse cogitari Asinium quippe qui numerum caesorum ab aliis traditum falsum esse putaret, re accuratius tractata eum numerum acriter defendisse quem qui ipse apud Pharsalum proeliatus esset certius quam alius affirmare posset.

Hoc quoque animadvertendum est Asinium saepe ab Appiano laudatum esse quod non modo scriptor sed etiam actor rerum et Caesaris Antoniique socius fuisset. Cf. II. 40,

45, 82. iIII. 46, 74, 97. IV. 12, 27, 84. V. 20—23, 50, 64. Quod summi momenti est, si maioribus laudibus quam quas meruerat ornatus est. Quod evenit App. II. 40, ubi Asinium, quem Caesar B. C. I. 30, 31. II. 3, Cicero ad Att. X. 4, 7. 16. Cassius Dio 41, 41, prorsus praeterierunt, missum esse a Caesare, ut Catonem ex Sicilia expelleret, narrat. Drumannus (Hist. Rom. II. p. 4 adn. 29) illum a Curione praemissum cum Catone primum de cedendo ex Sicilia collocutum esse sagacissime coniecit. Atque facile est intellectu uno ab Asinio res suas sua ex parte tradente id relatum esse quod ad eventum belli non multum valuisset, sed ab ipso perfectum esset, eoque esse factum, ut scriptores posterioris aetatis illum secuti Curionis, qui pro praetore quattuor legionibus praefuit, ne nomen quidem traderent. Aliud eiusdem generis exemplum praebet clades Asinio Pollioni a Sex. Pompejo in Iberia allata, quam Dio 45, 10 uberius narrat, Velleius (II. 73) Asinii laudator clarissimum bellum appellat, Appianus plane praetermittit. Si quidem in illa clade ab Asinio sagum abiectum esse, quo celerius fugeret, Dio recte tradidit, quis causam non perspicit, cur Asinius illam rem silentio obtexerit et Appianus cum apud auctorem suum nihil de clade traditum invenerit silere coactus sit?

Unum accedit, quo Appianum Pollionis auctoritatem secutum esse affirmatur, quod complura quae de Appiano protulimus de Plutarcho quoque proferre possumus. Iam commemoravimus citatum esse Asinium cum ab Appiano tum a Plutarcho (vit Pomp. 72 et vit. Caes. 46) in pugna Pharsalica enarranda. Atque altero loco (App. II. 46) de quo paulo supra egimus, mirum in modum inter se conveniunt.

Plut. v. Cat. Ut. 53, 1.	App. II, 40, 26.
... πυθόμενος δὲ [Κάτων] Ἀσίνιον Πολλίωνα παρὰ τῶν πολεμίων ἀφῖχθαι μετὰ δυνάμεως εἰς Μεσσήνην ἔπεμψε λόγον ἀπαι-	Ἀσίνιός τε Πωλίων ἐς Σικελίαν πεμφθείς, ἧς ἡγεῖτο Κάτων,

τῶν παρ' αὐτοῦ τῆς διαβάσεως. Ἀνταπαιτηθεὶς δὲ λόγον ὑπ' ἐκείνου τῆς τῶν πραγμάτων μεταβολῆς, καὶ Πομπήϊον ἀκούσας ἐκλελοιπότα παντελῶς Ἰταλίαν ἐν Δυρραχίῳ στρατοπεδεύειν, πολλὴν ἔφη περὶ τὰ θεῖα πλάνον εἶναι καὶ ἀσάφειαν, εἰ Πομπήϊον ἐν οἷς ὑγιὲς οὐδὲν οὐδὲ δίκαιον ἔπραττεν ἀήττητον γενόμενον νῦν, ὅτε τὴν πατρίδα βούλεται σώζειν καὶ τῆς ἐλευθερίας ὑπερμάχεται, προλέλοιπε τὸ εὐτυχεῖν. Ἀσίννιον μὲν οὖν ἔφη δυνατὸς εἶναι Σικελίας ἐκβαλεῖν, ἄλλης δὲ μείζονος ἐπερχομένης δυνάμεως οὐ βούλεσθαι τὴν νῆσον ἐμπολεμῶν ἀπολέσαι, χωρεῖν δὲ πρὸς τὸ κρατοῦν καὶ σώζεσθαι παραινέσας Συρακουσίοις ἐξέπλευσεν. Ἀφικόμενος δὲ πρὸς Πομπήϊον....

πυνθανομένῳ τῷ Κάτωνι πότερα τῆς βουλῆς ἢ τοῦ δήμου δόγμα φέρων ἐς ἀλλοτρίαν ἀρχὴν ἐμβάλλοι, ὧδε ἀπεκρίνατο „ὁ τῆς Ἰταλίας κρατῶν ἐπὶ ταῦτά με ἔπεμψε." καὶ Κάτων μὲν τοσόνδε ἀποκρινάμενος, ὅτι φειδοῖ τῶν ὑπηκόων οὐκ ἐνταῦθ' αὐτὸν ἀμυνεῖται, διέπλευσεν ἐς Κέρκυραν καὶ ἐκ Κερκύρας ἐς Πομπήϊον.

Initii et finis similitudo tanta est, ut propter diversitatem mediae partis de diversis fontibus cogitare nobis non liceat. Neque enim Plutarchus neque Appianus totum locum exscripsit, sed unus quae Asinius respondit, alter quae Cato de Pompeio questus est (de qua re cf. Caes. B. C. I, 30) praetermisit. Deinde Plutarchus Pollionis mentionem fecit vit. Caes. 32, 21, ubi Caesar diu haesitasse traditur an Rubiconem transiret. Cf. πολλὰ δὲ καὶ τῶν φίλων τοῖς παροῦσιν, ὧν ἦν καὶ Πολλίων Ἀσίννιος, συνδιηπόρησεν. Totam narrationem ex Asinio desumptam esse cum per se verisimile est, tum eo comprobatur, quod Appianus in eadem narratione magna ex parte eadem verba retinuit (II, 35). Porro duae res, quas nisi Plutarchus memoriae tradidisset, ignoraremus, ad Asinium pertinent. Primum enim Plutarchus Ant. 9 testatur praeter Trebellium plebis tribunum, quem unum Dio 42, 49. 46, 16 commemorat, Asinium quoque Dolabellae primum iuvante,

tum invito Antonio novas tabulas postulanti adversatum esse. Deinde Pollionem summis laudibus ornat vit. Caes. 52, 2, ubi bello Africae oborto cum equites Numidarum Romanos in fugam vertissent, non multum afuisse refert, quin totum bellum finitum esset, nisi Caesar et Asinius fugientibus obstitissent. Denique ad Asinii auctoritatem Plutarchus provocavit v. Caes. 46, 23. *Ταῦτά φησι Πολλίων Ἀσίννιος τὰ ῥήματα Ῥωμαϊστὶ μὲν ἀναφθέγξασθαι τὸν Καίσαρα παρὰ τὸν τότε καιρὸν, Ἑλληνιστὶ δ' ὑπ' αὐτοῦ γεγράφθαι.* Cf. verba Latina apud Suetonium vit. Caes. 30 et de verbis recte explicandis Thorbeckium p. 111. Hoc loco tamquam fundamento innisus miraque similitudine plurimorum Appiani et Plutarchi locorum summo documento usus in ea parte vitae Caesaris, qua Plutarchus bellum Gallicum et bellum civile inter Pompeium et Caesarem gestum narraverit, Asinii vestigia exstare H. Peterus (p. 124 sqq.) iudicavit. Grasshofius quidem in dissertatione de fontibus et auctoritate Cassii Dionis Bonnae 1867. p. 64 in bello Gallico enarrando Plutarchum Asinii historiis usum esse negat, quem refutare minime mihi in animo est, dummodo concedatur omnino de temporibus Caesaris morti antecedentibus Asinium Plutarchi ducem fuisse. Quod negare quis velit, si qua ratione Asinius ab Appiano et Plutarcho citatus et laudatus sit consideraverit contuleritque locos illos ab H. Petero p. 125 enumeratos?

Quodsi in bello civili enarrando Asinii libros et Appianum et Plutarchum adisse ex his indiciis satis certum videtur, id plurimum valet ad perspiciendum, quem auctorem in temporibus insequentibus describendis secuti sint.

Plutarchus quidem modo hinc modo illinc narrationem aliquam petere neque raro ex auctore, qui totam aetatem descripsit, in alium, qui singulas res parvulasque narrationes collegit, transgredi solitus est. Itaque si qua in vita scriptore quodam eum usum esse constat, eundem etiam in alia vita, quae ad eandem aetatem pertinet, ei ad manum fuisse quamquam verisimile videtur, minime tamen pro certo ha-

bemus. Appianus vero nec vitas scribere nec mores virorum praeclarissimorum vel minimis rebus levissimisque narrationibus illustrare, sed totam belli civilis historiam scribere sibi proposuit. Talem scriptorem, quos fontes iam antea secutus sit, in iis postea quam diutissime haesisse tam probabile ac manifestum videtur, ut ab hac sententia nobis non prius decedendum sit, quam contrarium factum esse ex certis testimoniis appareat.

Sunt autem quae nobis repugnare videantur arbitrantibus Appianum et Plutarchum usque ad Caesaris mortem Asinii historias secutos esse. Ab enarrando enim bello Alexandrino usque ad cladem a Pompeianis apud Mundam acceptam utrumque raro admodum inter se convenire (App. II. 95, 2. Plut. v. Caes. 52. p. 415, 5.; App. II. 102, 1. Plut. v. Caes. 55, 11), saepius inter se discrepare (cf. App. II. 90, 12. Plut. v. Caes. 49, 11 de Achilla et Pothino; App. II. 92—93. Plut. v. Caes. 51 de militum in Italia tumultu), maxime vero, quae alter tradat, alterum ignorare nemo negabit. Sane quidem scimus, cum Caesar Alexandriae Aegyptios subigeret, Asinium Romae fuisse (Plut. v. Ant. 9), post autem in Africa (Plut. v. Caes. 52) et in Hispania duce Caesare pugnavisse (Cic. ad Att. XII. 38. XIII, 21. cf. Drumann. II, 5). Quod cum ita sit, eandem auctoritatem quam antea in enarranda pugna Pharsalica, post in ceteris rebus a Caesare gestis exceptis bellis contra Alexandrinos et contra Pharnacem gestis Pollioni ab Appiano tributam esse quominus putemus, nihil est quod impediat. Neque Plutarchum Asinii libros in his rebus describendis prorsus ignorasse ex locis (Plut. v. Caes. 52. Ant. 9) quos supra commemoravimus conici saltem licet. Sed tamen id pro certo habemus Plutarchum haec tempora in compluribus vitis tractantem non solum uno potissimum opere usum esse, sed in vita Caesaris interdum ita congruere cum Dione et Orosio (cf. Peter. 125—126), ut, nisi Livius ipse fuerit, ei prorsus alienus auctor fuisse non possit, et in vita Catonis Uticensis, cuius postrema pars ad bellum Africae pertinet, hausisse ex Thrasea Paeto (cf.

Peter. p. 65 sqq.). Deinde si in vita Antonii (c. 9) quaedam ex Asinio Plutarchus deprompsisse videtur, eundem fontem in iis aliarum vitarum partibus, quae ad idem tempus pertinent, eum secutum esse ne concludamus summopere esse cavendum iam supra dixi. Neque Appianum in uno fonte acquievisse sed pluribus usum esse, quorum indagandorum hic locus non est, patet ex App. II, 70. Quomodo igitur in Appiani narrationem plurima Plutarcho ignota confluere potuerint, facile est intellectu. Sin autem alteruter tunc Asinium reliquit, argumentum consiliumque et historiarum et vitarum, in quarum diversitate diversa ratio fontium deligendorum et adhibendorum posita est, cogit, ut Plutarchum potius quam Appianum a scriptore quem adhuc secutus est dicessisse statuamus. Eoque minus existimo Appianum fontem suum aliquamdiu sine causa neglexisse, quo certiora Asinii vestigia postea in illius libris apparent. Nam iam ante Caesaris mortem Appianus et Plutarchus rursus ita inter se consentire incipiunt, ut ad similitudinem explicandam non solum ad Empyli libellum sed etiam ad Asinii historias refugiendum sit.

Empylum in libro, quem Plutarchus *μικρὸν μὲν οὐ φαῦλον δὲ σύγγραμμα περὶ τοῦ Καίσαρος ἀναιρέσεως ὃ Βροῦτος ἐπιγέραπται* appellaverit, res a Caesare paulo ante necem gestas causasque et originem coniurationis plane omittere non potuisse manifestum est, minus tamen verisimile videtur singula tam accurate eum exposuisse, ut templum Clementiae et Caesari commune esse decretum (App. II, 106. Plut. Caes. 57) inimicosque victos veniam a Caesare et honores magistratusque impetravisse traderet. Confer

Plut. v. Caes. 57, 2.	App. II, 107, 26.
καὶ γὰρ ἀφῆκε πολλοὺς τῶν πεπολεμηκότων πρὸς αὐτὸν, ἐνίοις δὲ καὶ ἀρχὰς καὶ τιμὰς, ὡς Βρούτῳ καὶ Κασσίῳ προςέθηκεν.	*καὶ τοῖς ἐχθροῖς διηλάσσετο, καὶ τῶν πεπολεμηκότων οἱ πολλοὺς προῆγεν ἀθρόως ἐς ἐτησίους ἀρχὰς ἢ ἐς ἐθνῶν ἢ στρατοπέδων ἡγεμονίας.*

Hanc similitudinem eo, quod uterque Asinium ducem habuerit, explicandam esse mihi persuasum est. At contra dubium esse non potest, quin Empylus omnia libello suo complexus sit, quibus adversarii Caesaris ad coniurationem stimulati tunc putabantur; inter quae refero Caesarem senatu accedente non assurrexisse (App. II, 107. Plut. Caes. 60); a plebe regem vocatum Caesarem se esse dixisse (App. II, 108; Plut. Caes. 60); cohortem praetoriam repudiasse (App. II, 109. Plut. Caes. 57); ad bellum Parthicum cuncta paravisse (App. II, 110. Plut. Caes. 58); Caesetium ac Marullum plebis tribunos Caesari adversatos esse (App. II, 108. Plut. Caes. 61); Sibyllinum oraculum (App. II, 110. Plut. Caes. 60), denique Lupercalia (App. II, 109. Plut. Caes. 61. Ant. 12). Atque confitendum sane est in his capitibus similitudinem tantam non esse quanta sit in sequentibus, quibus de ipsa coniuratione agitur. Immo discrepantiae exstant satis graves. Vide App. II, 108. Plut. Caes. 61, ubi Caesarem in tribunos plebis Appianus ante Lupercalia, Plutarchus illis iam peractis acriter consuluisse tradidit.

Quodsi quaeritur, unde et hae diversitates illaeque quas p. 9 commemoravimus, et similitudines, de quibus iam diu disseruimus, explicandae sint, equidem dixerim e libris Asinii Plutarchum et Appianum hausisse, ex Empyli libello solum Plutarchum. Si quis forte coniecerit Appianum quoque ipso Empylo usum esse, quomodo id enodabit quod multas res gravissimas, quas Plutarchus ex Empylo deprompsit, Appianus neglexit? Sin autem Asinium libellum Empyli cognitum habuisse putamus, omnia perspicua et aperta fiunt. Quae res nihil offensionis habet. Neque enim mirum videri potest Pollionem in enarranda coniuratione ad alios auctores refugisse, si quis reputaverit, eo tempore, quo Caesar occisus est, Asinium Pollionem in Hispania pro praetore fuisse, neque id mirari licet, quod is nonnulla aliter atque Empylus tradidit, quia tunc multae variaeque narrationes in ore omnium haud dubie versabantur. Neque ulla causa exstat, cur Empylum tanto tempore interiecto scripsisse credas, ut Asinius libellum novisse non

posset: immo multo probabilius esse videtur, Empylum Bruti facinus literis defendisse, simulatque animi subita imperatoris caede perturbati acquiescere inceperint.

Ex multis igitur indiciis cognoscitur et pro certo habetur Plutarchum Empyli et Asinii, Appianum praeter alios auctores a Plutarcho neglectos Asinii vestigia pressisse. Quae in primis capitibus vitae Bruti cum Appiano conveniunt, velut Caesaris et Serviliae amor et praeceptum Caesaris, ut Brutus in pugna Pharsalica servaretur (Plut. v. Br. 5. App. II, 112), uterque ex Asinio, quae in capitibus 7—17 cum Appiano congruunt, Plutarchus ex Empylo, Appianus ex Asinio, cuius auctor Empylus fuerat, deprompserunt.

Alia tamen, quae in capitibus 7—17 leguntur, ex Empylo se non hausisse Plutarchus ipse indicat. Scribit enim v. Bruti 13 Porciam e priore marito (qui fuit M. Calpurnius Bibulus a. 59 a. Chr. n. collega Caesaris) filium habuisse, *ᾧ Βύβλος ἦν ὄνομα· καί τι βιβλίδιον μικρὸν ἀπομνημονευμάτων Βρούτου γεγραμμένον ὑπ' αὐτοῦ διασώζεται*, et extremo capite 23: *Ταῦτα μὲν ὁ τῆς Πορκίας υἱὸς ἱστόρηκε Βύβλος.* Nullo modo igitur dubitari potest, quin initio excepto caput 23 ex illis *ἀπομνημονεύμασι* Bibuli sumptum sit; et verisimillimum videtur eidem fonti debuisse Plutarchum quod legimus cap. 13 Porciam sua ipsius manu vulneratam Bruto persuasisse, ut coniurationem sibi aperiret, et cap. 15 Porciam mane Idibus Martiis summa aegritudine atque angore affectam esse, et cap. 24 Bruti diem natalem.

Quo magis et saepius in coniuratione enarranda Plutarchus et Appianus inter se consentiunt, eo mirabilius videtur, quod ineunte capite 18 vit. Br. subito omnis similitudo in diversitatem commutata est. Vix opus est dicere id referendum non esse ad versus 6—20 capitis 18, cum quamobrem coniurati Antonio parcere statuissent, rectius ante Caesaris mortem ut ab App. II, 114 et Plut. Ant. 13 narratum sit. Similitudo autem inter App. II, 117 et Plut. Caes. 66, Br. 17, maxime si cum Nicolai Damasceni (24) et Dionis narrationibus (44, 20) comparantur, negari vix poterit.

Plut. v. Caes. 66, 21.	App. II, 117, 18.
καὶ πρὸς ὅτι τρέψειε τὴν ὄψιν πληγαῖς ἀπαντῶν .... ὥσπερ θηρίον ἐνελεῖτο ταῖς πάντων χερσίν .... ὅτε Βροῦτον εἶδεν ἐσπασμένον τὸ ξίφος, ἐφειλκύσατο κατὰ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον καὶ παρῆκεν ἑαυτὸν .... πρὸς τὴν βάσιν, ἐφ' ἧς ὁ Πομπηΐου βέβηκεν ἀνδριάς. v. Br. 17, 26... τῷ ἱματίῳ τὴν κεφαλὴν ἐγκαλυψάμενος...	ὥστε τὸν Καίσαρα ... καθάπερ θηρίον, ἐς ἕκαστον αὐτῶν ἐπιστρέφεσθαι .... μετὰ δὲ τὴν Βρούτου πληγὴν εἴτε ἀπογιγνώσκοντα ἤδη τὸ ἱμάτιον περικαλύψασθαι, καὶ πεσεῖν εὐσχημόνως παρ' ἀνδριάντι Πομπηΐου.

At iam initium capitis 118 valde repugnat v. Br. capiti 18. Appianus enim cum satis apertis verbis indicat caedem viri sacrosancti se comdemnare (cf. IV, 134) tum tradit multos homines esse interfectos. Sed Plutarchus ne vituperat quidem coniuratos negatque ab iis praeter unum Caesarem quemquam occisum esse (Plut. Br. 18, Ant. 14). Plutarchum autem in alium fontem se convertisse eo minus statuerim, quo verisimilius videtur res gestas usque ad Caesaris exsequias ab Empylo narratas esse. In vita Caesaris igitur usque ad finem, in v. Bruti ad c. 21, in v. Antonii ad. c. 14 Plutarchum ex Empylo hausisse mihi persuasum est. Neque Appianus hic Asinium reliquisse videtur. Constat quidem ex loco illo clarissimo Taciti Annalium IV, 34 ab Asinio Pollione Bruti Cassiique egregiam memoriam traditam esse, Antonii tamen socium ac ducem de caede imperatoris minus severe quam Appianum iudicavisse quis credat?

Quodsi Plutarchus ex Empylo, Appianus ex Asinio ut ante ita post hauserunt, quomodo fieri potest, ut subito ita inter se discrepent, ut fere nulla vestigia communis vel propinquae originis inveniri possint? Primum monendum est in rebus, quae Caesaris mortem secutae sunt, describendis Nicolaum, Suetonium, Velleium, Dionem ceterosque non minus inter se discrepare quam Appianum et Plutarchum. Ea tantum, quae Cicero in epistolis et orationibus memoriae serva-

vit, certa historiae illorum dierum fundamenta sunt. Deinde tenendum est Asinium tunc provinciae Hispaniae praefuisse (Cic. ad. Fam. X, 31, 4. App. IV, 34). Neque Empylum eo tempore in urbe versatum esse ex eo collegerim, quod se auctoritatem testis oculati secutum esse Plutarchus non dixit. Ex hominum igitur sermonibus vera rerum eius temporis conditio iis enucleanda erat. Neque dubium est, quin diversissimi generis rumores et narrationes tunc versarentur, quae defenderent et damnarent, augerent et minuerent. Atque etiam si vera a falsis distingui potuissent, aliae difficultates eo afferebantur, quod permultae res summi momenti brevi paucorum dierum tempore factae et bis vel saepius repetitae velut orationes a Bruto et Cassio, Antonio et Dolabella in Capitolio, in senatu, in foro habitae, legationes, concursationes, fugae facile confundi et in falsum ordinem cogi poterant. Denique similitudo primorum capitum in hac causa potissimum posita est, quod narratio narrationem sequitur, qua forma in postremis capitibus sola Cinnae mors tradita est. Ex multis igitur causis explicari potest, cur Appianus et Plutarchus in enarranda coniuratione de iis quae ante mortem Caesaris facta sunt mirum in modum inter se conveniant, post vehementer dissentiant.

Longe aliter autem res se habet in ea parte vitarum, quam Plutarchus ex Empylo haurire non potuit, i. e. vit. Br. inde ab cap. 22, vit. Ant. ab c. 16, quibuscum vitae Ciceronis capita 43—46 comparanda sunt.

Res Caesare occiso a. 44 et 43 in Italia et Graecia gestas neque tam diligenter quam coniurationem neque uno tenore neque omnino ita, ut nullae in illis tribus vitis insint differentiae ac repugnantiae, a Plutarcho pertractatas esse ab accurate inspicientibus facile intellegi potest. Atque perversa cum rectis confusa summaque modo satis multis verbis explicata, modo fere neglecta esse ex vit. Cic. capitibus 43—46 sine ulla dubitatione apparet. Rectissime enim narratur, quamdiu Cicero ex Italia cedere dubitaverit quantisque igno-

miniis, postquam profectus atque regressus fuerit Kal. Sept. in curia ab Antonio absens sit lacessitus. Sunt etiam, quae Ciceronis Philippicarum memoriam afferant. Confer Plut. Cic. 43, 29 *μαλακῶς ἔχειν ἐκ τοῦ κόπου σκηπτόμενος*. 1 Phil. V, 12 quumque e via languerem et mihimet displicerem. Pl. 43, 33 *καὶ στρατιώτας ἔπεμψεν ἄγειν αὐτὸν ἢ καταπρῆσαι τὴν οἰκίαν κελεύσας*. 1 Phil. V, 12 cum fabris se domum meam venturum esse dixit. Omnia ita exposita sunt, ut capite 43 illi certamini praeludi videretur, quo Cicero extremis viribus Antonio victoriam e manibus eripere frustra conatus est, dummodo ne certamen, quod sequi debuit, plane deesset. Neque enim Philippicae primae, quam Cicero postridie habuit, neque ceterarum orationum, quibus omnes eloquentiae fontes aperuit, ut Antonium opprimeret, hoc loco Plutarchus meminit, sed nulla temporis ratione habita ad adventum Caesaris Octaviani transgressus sic pergit v. Cic. 43 p. 282,3. *Καὶ τὸ λοιπὸν οὕτως ἀντιαρεξιόντες ἀτρέμα καὶ φυλαττόμενοι διετέλουν, ἄχρι οὗ Καῖσαρ ὁ νέος ἐξ Ἀπολλωνίας παραγενόμενος* ... At Octavianum iam vere Romam venisse, Ciceronem multo post consilio villis suis discedendi et in Graeciam proficiscendi capto et abiecto prid. Kal. Sept. in urbem regressum esse satis constat.

Minus quidem mirandum esset, quod Antonium a Cicerone urbe expulsum et ab Hirtio Pansa consulibus victum esse Plutarchus in v. Cic. 45 breviter narravit, si res eo tempore gestas in vita Ant. uberius exposuisset.

At ut in vit. Cic. 43—46, ita in vit. Ant. 15—21 et Br. 21—27 nonnulla copiose descripta, plurima breviter tacta sunt. Concedendum sane est Plutarchum quorundam vironum vitas et mores levissimis narratiunculis non repudiatis tractare neque causas originemque et seriem et exitum omnium rerum referre sibi proposuisse. Quid igitur ineptius quam Plutarchum vituperare, qui omnibus quae de Antonio comperta habuit perscriptis ordinem rerum ab aliis eodem tempore gestarum in vit. Ant. quam brevissime rettulerit? Quid vero, si non perscripsit omnia, quae de Antonio haud dubie scivit? Nam causis, cur Antonio

cum Octaviano inimicitiae fuerint, allatis utrumque ad milites convocandos Italiam percurrisse extremo cap. 16 narratum quidem est. Sed neque cum Brundisii milites jam tumultuati essent, duas legiones ad Octavianum transisse Plutarchus memoriae tradidit neque Antonium senatu Romae et Tibure habito provinciis mutatis ex Italia ad bellum civile exisse, ut Dec. Brutum e Gallia Cisalpina vi expelleret. Quae etiamsi Plutarcho ignota fuisse existimari liceret, tamen diversae rerum tractandarum rationis luculentissimum exemplum argumento capitis 17 praebetur, quo bellum Mutinense obiter perstrictum, fuga Antonii pluribus verbis quam alibi exornata est. Qua in re animadvertendum est Octavianum, ut Antonius vinceretur, pro viribus contendisse, persequendo prorsus abstitisse. Itaque ut in vita Ciceronis c. 43 Plutarchus cum primum ad id tempus transgressus est, quo Octavianus rem publicam capesscre incepit, in errorem ac levitatem delabitur, ita in vita Ant. 17, postquam res in quibus Octavianus versatus est paucissimis absolvit, de aliis rebus subtilius atque copiosius discere coepit. Quae cum ita sint, illas res in vita Octaviani, quae ad nostram aetatem non pervenit, relatas fuisse satis verisimile est. Scriptam autem esse a Plutarcho illam vitam certissimo testimonio affirmatur. In catalogo enim Plutarchi librorum, quem a Lampria quodam compositum esse tradunt (disseruit de eo Maximilianus Treu: „Der sogenannte Lampriascatalog der Plutarchschriften, Waldenburg i. Schlesien 1873“), legimus p. 8 *Αὐγούστου βίος* titulum fuisse libelli a Plutarcho scripti. Iam satis apparet bellum Mutinense et multa alia, non quia nihil inesset, quo Antonii mores illustrari possent, in vita Antonii, Bruti, Ciceronis a Plutarcho accuratius exposita non esse, sed propterea quod in vita Augusti iam descripta erant.

Quae cum ita sint, in fontibus indagandis duabus illis partibus diversi generis, quae in v. Ant. 15—21, v. Br. 21—27 inter se confusae et permixtae sunt, deductis et separatis quaerendum est, utrum Plutarchus ex aliis libris quae de Bruto et Antonio accurate scripsit, ex aliis quae in vita Augusti

iam narrata cursim repetivit, an totam narrationem ex uno opere hauserit.

Plutarchus provocat ad auctoritatem Bibuli, ex quo vitae Br. caput 23 et capitis 24 extremam partem sumptam esse iam supra demonstravimus, et Augusti, de quo infra disseremus, et Bruti ipsius, ad cuius epistolas pertinent quae v. Br. 21, 1 leguntur *ἔγραφε πρὸς τοὺς φίλους* et paulo post *ἔγραφε δὲ καὶ Κικέρωνι*, et c. 23, 30 *Ἐν μὲν οὖν ταῖς πρώταις ἐπιστολαῖς τοιοῦτος ὁ Βροῦτος*. Verba Bruti c. 22 ex epistolis ad Atticum transcripta esse cognoscitur ex Plut. v. Cic. 45,21 *Βροῦτος ἀγανακτῶν ἐν ταῖς πρὸς Ἀττικὸν ἐπιστολαῖς καθήψατο τοῦ Κικέρωνος*. Praeterea Bruti epistolarum mentio facta est vit. Br. c. 2 c. 29 c. 53; comp. Cic. c. Dem. 4. Quas utrum ipsas Plutarchus adierit, an ex alio fonte locos iam transcriptos petierit, H. Peterus in alteram sententiam p. 130, in alteram p. 140 inclinans in incerto reliquit. Ipsas quidem Ciceronis epistolas, quas perlegere non tam fructuosum quam laboriosum fuit, Plutarchum non adhibuisse H. Peterus p. 110, 118 recte videtur iudicasse. Sed Bruti epistolas, quarum numerus multo minor quam Ciceronis fuisse videtur, Plutarchum neque legisse neque adhibuisse contendi vix potest, praesertim cum graeca lingua scriptas v. Br. 2 et falsas (Br. 53) tunc vulgatas fuisse ipse testetur. Ea tamen, quae in vitam Bruti inserta sunt, cum vi et sententia *ἀπομνημονευμάτων* sic congruere, ut a Bibuli libello sumpta esse videantur, pauca exempla docebunt. Confer Plut. Br. 2, 10 „*Ἀκούω ὑμᾶς Δολοβέλλᾳ δεδωκέναι χρήματα· ἃ εἰ μὲν ἑκόντες ἔδοτε, ὁμολογεῖτε ἀδικεῖν· εἰ δὲ ἄκοντες, ἀποδείξατε τῷ ἐμοὶ ἑκόντες δοῦναι.*“ Plut. Br. 29. p. 78, 13: *Γράφει δὲ πρὸς Ἀττικὸν ἤδη τῷ κινδύνῳ πλησιάζων ἐν τῷ καλλίστῳ τῆς τυχῆς εἶναι τὰ καθ' αὑτόν· ἢ γὰρ νικήσας ἐλευθερώσειν τὸν Ῥωμαίων δῆμον ἢ δουλείας ἀποθανὼν ἀπαλλαγήσεσθαι· καὶ τῶν ἄλλων ἀσφαλῶς αὐτοῖς καὶ βεβαίως ἐχόντων ἓν ἄδηλον εἶναι, πότερον βιώσονται μετ' ἐλευθερίας ἢ τεθνήξονται.* Neque video, cur Bibulum e Bruti epistolis aliquid deprompsisse negandum sit. Itaque

nihil obstare videtur, quin ex Bibuli libello illa a Plutarcho petita esse arbitremur.

In capitibus v. B. 24—26, quae sequuntur, qua ratione Brutus Graeciam et Macedoniam in potestatem suam redegerit, narratum est. Quae si comparamus cum Dion. 47, 21 sqq. et App. III, 63 et 79, solum Plutarchum tradidisse videmus Brutum cum Athenas advenisset in philosophiae studiis versatum Ciceronis filium in suas partes traxisse, Herostratum quendam in Macedoniam misisse et cum adversus C. Antonium castra moveret, nive ac frigore ipsum et totum exercitum gravi morbo correptum Dyrrachinis adiuvantibus convaluisse. Nonnulla comprobantur ab Appiano aut a Dione veluti Brutum Cassiumque summis honoribus ab Atheniensibus rcceptos esse (Dio 47, 20), magnam copiam armorum Demetriade fuisse (App. III, 63). Vehementer autem inter se ea repugnant, quae de bello cum C. Antonio gesto relata sunt. Plutarchus enim scribit C. Antonium, qui cum copiis Apolloniam contractis ad Brutum oppidanos inclinare et multos milites transire vidisset, Buthrotum reverteretur, tribus cohortibus amissis circa Byllidem a Cicerone victum et in locis palustribus a Bruto, qui Romanis parcere suos iussisset, equitatu circumdatum se et copias suas dedidisse. Multo autem aliter Appianus (III, 79) refert C. Antonium una legione fretum, cum Bruto insidias collocare non potuisset, ipsum in insidias pracipitantem primum sine pugna dimissum, tum Bruti exercitu rursus circumducto in praeruptis locis, cum milites se dedidissent, ipsum quoque captum esse. Ab utroque auctore Dio 47, 21 maxime dissentit, qui tradit Vatinio, qui ante Brutum Dyrrachium venisset, a copiis deserto Brutum exercitum satis auctum adversus C. Antonium duxisse, qui Apollonia profectus, cum milites transirent, sub muros se reciperet. Ibi diu circumsessum prodito oppido ipsum in Bruti manus incidisse. Neque cum Plutarcho ἐν ἑλώδεσι χωρίοις neque cum Appiano ἐν κατακρήμνοις C. Antonium se dedidisse nobis credendum esse, sed Apolloniam a Bruto obsessam esse Dionem iure tradidisse patet e Cice-

ronis orationibus Philippicis, qui 10 Phil. §. 13 literis Bruti certior factus Antonium septem cohortibus Apolloniam defendere, 11 Phil. §. 26 dicit eum tenere Apolloniam magnam urbem et gravem, 13 Phil. §. 32 captum esse Antonium memorat. Sed pauca quae Plutarchus tradidit Ciceronis orationibus confirmantur. Cf. 10 Phil. §. 13, ubi Cicero filii mentionem facit. Neque id male congruit, quod tres cohortes interclusas esse Plutarchus dicit, cum Cic. 10 Phil. §. 15 „cum septem cohortibus esse Apolloniae scribit Antonium." Defuerunt enim tres cohortes, quominus una legio Apolloniae esset, cui Antonium praefuisse Appianus (III, 79) testatur. Attamen tota narratio apud tres illos auctores tam diversa est, ut ex uno fonte eam deductam esse putari minime liceat.

Neque aliter iudicabimus, si Plut. vit. Ant. 17—18 cum App. III, 83—84 et Dion. 46, 50—51 contulerimus. Caput 17 inde ab *φεύγοντι δὲ Ἀντωνίῳ* ex eodem libro atque caput 18 Plutarchum petivisse discimus e continuae narrationis colore. Fuga Antonii quam praeceps et nuda fuerit, intellegi potest e Vell. II. 61 et e Ciceronis epistolis ad Fam. X, 14. 15. 33, 4. 34. XI, 10. 12. Laborum vero ac miseriarum accurata descriptio sola exstat apud Plutarchum. Pari autem ratione Appianus, Dio, Plutarchus narrant castris ab Antonio prope Lepidi castra positis militum precibus et imbecillitate animi sui Lepidum permotum esse, ut se cum illo coniungeret. Drumannus quidem (Hist. Rom. I. p. 349 sqq.) Ciceronis epistolis nisus Lepidum et Antonium iam diu id occulte inter se constituisse sagacissime demonstrasse mihi videtur. Neque singula singulis sic respondent, ut verba inter se conferri possint, si unum exceperis. Cf. Plut. Ant. 18, 30 *καὶ τῷ μὲν ἔργῳ πάντων αὐτὸς ἦν κύριος, ἐκείνῳ δ' ὄνομα καὶ τιμὴν αὐτοκράτορος διετέλει φυλάττων.* App. III, 84, 31 *καὶ τοῖσδε ὁ μὲν Λέπιδος ἐπωνομάζετο ἔτι, ὁ δὲ Ἀντώνιος ἅπαντα διῴκει.* Vell. II, 63 „qui titulo imperi cedebat Lepido, cum summa virium penes eum foret." At ibi res ipsa tale quid paene postulasse videtur cetera vero tam raro inter se conveniunt, ut ex uno hoc loco originem nar-

rationibus esse communem minime cognoscatur. Nam Culleonem a Lepido custodiae Alpium praepositum Antonio transitum concessisse Appianus testatur, Dio Silanum a Lepido esse vituperatum, quod in bello Mutinensi Antonium adiuvisset, quae recta esse apparet ex Cic. Fam. X, 31, 2 „Silanus et Culleo ab eo discesserunt sqq." Plutarchus tradit Antonium post cladem barbam promississe. Vide Eckhel. Doctr. num. vet. VI. p. 37. Solum deinde apud Plutarchum legimus, cum Lepidus voces Antonii, cuius adspectu sordida veste amicti et prope vallum aggressi milites perturbatos videret, sonitu tubarum obstrepi iussisset, missos esse a militibus ad Antonium legatos Laelium et Clodium muliebri veste tectos, qui vel occisuros se esse Lepidum pollicerentur. Contra nulla mentio fit Laterensis illius, cui Appianus mirum fidei militum experiendae consilium tribuit; eumque, cum Lepidum deterrere non potuisset, quominus cum Antonio se coniungeret, hoc castra intrante se ipsum interfecisse Dio haud dubie recte narrat. Cf. Cic. ad Fam. X, 11, 3. 15, 2. 23, 4. Quoniam haec et alia aut a Plutarcho aut ab Appiano aut a Dione relata non plane quidem inter se repugnant, tamen si ex uno fonte manavissent non ab uno relata et a duobus praetermissa essent, communem fuisse harum narrationum originem minime credibile videtur.

Denique si quae de P. Sicilio (Plut. Br. 27, App. III, 95. Dio 46, 48 sq.), de Ciceronis occisi capite (Plut. Ant. 20. App. IV, 20. Dio 47, 8), de L. Caesare Antonii avunculo (Plut. Ant. 20. App. IV, 37. Dio 47, 8) memoriae tradita sunt comparaverimus, ea quoque eiusmodi esse arbitrabimur, ut neque discrepantiae neque similitudines efficiant, ut quibus scriptis unus illorum auctorum trium usus sit, conici possit.

Transeamus ad alteram partem, qua Plutarchus breviter perstrinxit, quae iam ante in vita Augusti acurratius tractata esse supra diximus.

De adventu Caesaris Octaviani, quem Plutarchus vit. Ant. 16. Br. 22 paulo pluribus verbis quam cetera exposuit,

praeter Dionem 45, 1—14 et App. III, 9 sqq. scripsit Nicolaus Damascenus, cuius fragmenta vitae Augusti primum anno p. Chr. n. 1849 Carolus Muellerus fragm. hist. gr. III. p. 434—456 edidit, post de iis diligentissime disseruit Fr. Buergerus, De Nicolai Damasceni fragmento Escorialensi, quod inscribitur *βίος Καίσαρος* Bonnae 1869. Qui (C. Mueller. p. 547. Buerger. p. 50—52) iudicant, etiamsi Nicolaus Augusti vitiis negatis, Antonii quam maxime illustratis sine ira et studio non scripserit, tamen in nulla disquisitione ea neglegenda esse, quorum mentio sola apud Nicolaum facta sit. Fragmentum illud in tres partes divisum est, quarum mediam, quae coniurationem Bruti et Cassii continet, supra propterea praetermisi, quod Plutarchum in coniuratione enarranda Empylo usum esse ex aliis indiciis satis apparuit, prima et tertia huc pertinent, in quibus narrantur, quae post mortem Caesaris Octavianus Apollonia Romam profectus et quae in urbe gesserit, priusquam ad legiones veteranas convocandas in Campaniam contendit. Neque cum Nicolao neque cum aliis auctoribus Plutarchum ita convenire, ut verba verbis respondeant, quis est, qui miretur, cum in v. Ant. 16 et v. Br. 22. res levissime tactae sint? Singula quidem modo ab hoc, modo ab illo confirmantur, alia repugnant. Appianus (III, 14—21) refert Antonium et Octavianum cum in hortis Pompeianis colloquentes alter pecuniam postularet, alter recusaret, inimicissimos discessisse. Idem tradit Plutarchus (Ant. 16) *μὴ πειθομένου δὲ τούτοις* (verbis Antonii), *ἀλλ' ἀπαιτοῦντος τὰ χρήματα, πολλὰ καὶ λέγων πρὸς ὕβριν αὐτοῦ καὶ πράττων διετέλει.* At infitiatur Dio Cassius 45, 5 *τόν τε Ἀντώνιον οὐχ ὅσον οὐκ ἀπῄτει τι τῶν χρημάτων, ὧν προηρπάκει, ἀλλὰ καὶ ἐθεράπευε, καίτοι καὶ προπηλακιζόμενος ὑπ' αὐτοῦ καὶ ἀδικούμενος.* Eodem tamen ordine quae sequuntur a Dione et Plutarcho narrata sunt (v. Ant. 16, Br. 22. Dio 45, 6—8): Octavianus petit tribunatum, plebem pecunia sibi conciliat, impeditur ab Antonio quominus sellam et coronam Caesaris in conspectum vulgi daret, denique cum Antonio in gratiam redit. Contra Ap-

pianus (III, 31) testatur Antonium tum demum perfecisse, ne Octavianus tribunus plebis crearetur, cum et Critonii et Caesaris ludi, quos sella et corona posita celebrare Octavianus vellet, iam diu editi (App. 28) et consul et Caesaris filius iam semel reconciliati essent. Suetonius (vit. Aug. 10) res in ludis gestas prius memorat quam petitionem tribunatus. Porro monendum est a quoque illorum quattuor auctorum aliquid memoriae traditum esse, quod tres praeterierint. Vide Plut. Ant. 16: Antonium cum Octaviano reconciliatum somniavisse dexteram sibi fulmine percussam esse, Dio. 45, 6: Octavianum, cum urbem intrasset, Tib. Canutio plebis tribuno concedente orationem habuisse (Drumann. I, 123) et postea (c. 7) cum ex loco altiori loqui voluisset, lictores ab Antonio iussos esse eum depellere; Appian. (III, 28): bis illos reconciliatos esse (Drum. I. p. 127, 165, 202) et bis Antonium vetuisse, ne Caesaris sella et corona propalam collocarentur. Idem de Critonii et Caesaris ludis a Nicolao narratum esse, sed lacuna quadam ineuntis capitis 28 nomen Critonii intercidisse Muellerus p. 449, Buergerus p. 42 argumentis confirmaverunt. In alia re Nicolaus et Appianus dissentiunt, quorum alter dicit tribunos militum ab Antonio impetrasse, ut cum Octaviano in gratiam rediret, Nicolaus tamen narrat veteranos fuisse, qui cum Antonio persuasissent, ut in Capitolio Octavianum exspectaret, adolescentulum illum magno tumultu turbae per vias ruentis ita territum, ut in superiorem domus partem fugeret, vocibus recreatum tamquam per triumphum in Capitolium ducerent.

Verum quanta diversitas illorum auctorum sit, non solum ex singulis exemplis sed e totius narrationis colore et ratione cognoscitur. Nicolaus enim Damascenus Herodis regis Iudaeorum beneficia officiis remuneraturus res gestas eius summis laudibus celebravit et amplificavit, postea legatus Romam aliquotiens missus cum Augusti amicitia familiariter uteretur, *βίον Καίσαρος* scripsit, quo imperii legitimi heredis partibus ita favit, ut eum qui reconciliationem sinceram esse arbitratus domum consulis et paterni amici cotidie frequen-

tasset, omnis iniuriae insontem et ab Antonio insidiose deceptum esse pronunciaret (cap. 30). Etiam Dio exornat quidem et auget gloriam Octaviani, quem omnibus adolescentibus audacia, prudentia senibus praestitisse dicit (45, 5), confitetur tamen et Antonium et Octavianum ficte reconciliatam esse gratiam non ignorasse, sed neque odio sedato neque suspicione remota (45, 8) in gratiam, quam res publica postulavisset, redisse. Iam longius abest Appianus, ut Octavianum Antonio praeferat. Neque enim in hortis Pompeianis in altercando alter alteri parcit (III, 15—20) neque ullam occasionem plebis et veteranorum in alterum instigandorum praetermittit (III, 21. 22. 29. etc.). Minus ab Antonio Appianus se alienatum praebet quam a Cicerone, cuius quam minime meminit. Nihil aliud enim quam II, 142 *Κικέρων πολὺ τῆς ἀμνηστίας ἐγκώμιον ἐπέλεγεν* et III, 4 *Κικέρων συνεχῶς ἐπῄνει τὸν Ἀντώνιον* de rebus per totum annum, quo Caesar occisus est, a Cicerone gestis memoriae tradidit, eoque multum differt a Dione, qui Ciceronem saepissime laudat longasque orationes habentem facit (37,30 sqq. 44, 23—33. 45, 18—47 etc.). Denique Plutarchum plerumque eum, cuius vitam scriberet, praedicasse et defendisse satis constat. Sed concedendum est virtutibus Antonii laudatis (c. 17) et vitiis libidinibusque iure reprehensis (c. 21) merita Antonii et Bruti eo illustrata et amplificata non esse, quod Octavianus vituperationibus et criminibus obrutus et afflictus sit.

His omnibus quae inter se comparavimus et perpendimus, demonstratur Plutarchum minime consentire cum Nicolao, interdum cum Dione et Appiano, plerumque autem unum copiose exponere, quae ceteri tres aut leviter tangunt aut prorsus ignorant, tantamque esse differentiam, ut Plutarchum neque Nicolao ipso duce usum neque ex iisdem fontibus atque Appianum et Dionem hausisse satis certum videatur. Appianus autem et Dio quos auctores in rebus anno 44 et 43 a. Chr. n. gestis enarrandis praecipue secuti sint etiamsi ex aliis indiciis, de quibus disserendi hic locus non est, colligi liceat eoque fiat, ut Livio saltem quem sive ipsum sive ab

alio auctore exscriptum adisse Dio videtur, Plutarchum usum non esse statuamus, tamen ex quo fonte Plutarchus hauserit, nisi ad coniecturas refugimus, dicere difficillimum est.

De Augusto, quem de vita sua tredecim libros scripsisse constat, cogitare alienum non videtur. Saepius enim decurrit Plutarchus ad *ὑπομνήματα* illius. Cf. Plut. v. Br. 27 *ὑπατείαν ἔλαβεν . . . εἰκοστὸν ἄγων ἔτος, ὡς αὐτὸς ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν εἴρηκεν*. Cf. etiam v. Br. 41. v. Ant. 22. 68. v. Cic. 45. comp. Cic. c. Dem. 3. Sed omnibus his locis singularum rerum testimoniis usus est neque ad continuationem narrationis haec ita pertinent, ut plura quam illa verba paucissima ex Augusti libris in Plutarchi vitas pervenisse probabile sit. Atque ne hos locos ex ipso Augusto Plutarchum deprompsisse credamus, vetat Appianus, qui (IV, 110) eodem loco ad eandem rem affirmandam Augusti auctoritate nisus est.

Plut. v. Ant. 22, 15.

ὡς δὲ αὐτὸς ἐν τοῖς ὑπομνήμασι γέγραφε, τῶν φίλων τινὸς ὄναρ ἰδόντος ἀνεχώρησε πρὸ τῆς μάχης.

Plut. v. Br. 41, 13.

Καὶ Καῖσαρ μέν, ὡς αὐτὸς ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν ἱστορεῖ, τῶν φίλων τινὸς Ἀρτωρίου Μάρκου καθ' ὕπνον ἰδόντος ὄψιν κελεύουσαν ἐκστῆναι Καίσαρα καὶ μετελθεῖν ἐκ τοῦ χάρακος, ἔφθασε μικρὸν ὑπεκκομισθεὶς ἔδοξέ τε τεθνάναι.

App. IV, 110, 2.

Καίσαρος αὐτοῦ δι' ἐνύπνιον ἔνδον οὐκ ὄντος, ἀλλὰ φυλαξομένου τὴν ἡμέραν, ὡ αὐτὸς ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν ἔγραψεν.

Intellegi non potest, cur ipso hoc loco et Plutarchus et Appianus Augusti commentarios commemoraverint, nisi utrumque ex eodem libro locum iam laudatum transcripsisse putamus. Certum igitur est ex illis locis demonstrari non posse Plutarchum Augusti libros adisse et legisse. At faciamus in vita Augusti eum illis libris usum esse — quod per se veri dissimillimum non est — in aperto quidem habemus illas partes vitarum Antonii et Bruti, quibus res brevissime perstrictas esse iam saepe diximus, sive memoria repetitas sive ex ipso fonte sumptas et ipsas ex Augusti commentariis manavisse, sed

nescimus, unde ea petita sint, quae ab illis supra separavimus. Nam quis est qui credat omnia quae de Antonio et Bruto Plutarchus accurate scripserit, Augustum in commentariis suis narravisse?

Verum cum Plutarchum Augusto ipso duce usum esse certis testimoniis affirmatum non sit, cum nihil obstet, quominus in vitis Augusti, Antonii, Bruti eundem fontem Plutarchum adisse coniciamus, num Asinius sit, quem adierit, quaerere propterea supervacaneum non videtur, quod in prioribus vitae Bruti partibus et in vita Caesaris Asinium ducem fuisse Plutarchi supra iam demonstravimus.

Ac primum quaerendum est, quid de Appiano explorari possit, quem in bello civili et in coniuratione describenda ex Asinii historiis hausisse nec tam facile quam Plutarchum ex uno fonte ad alium transgredi solitum esse iam vidimus. Discrepant autem in his capitibus inter se ita, ut eodem scriptore utrumque usum non esse certum sit. Uter igitur Asinium Pollionem reliquit? an uterque? Ad hanc quaestionem solvendam id multum valere videtur, quod Appianus resa Pollione eo tempore gestas breviter quidem, sed honorifice laudavit. Cf. App. III, 46. 74. 97, quo postremo loco Pollio cum Antonio se coniunxisse et Plancum reconciliavisse narratur. Contra Plutarchus Plancum quidem transisse testatur, sed ad annum 46 in bello Africae scribendo Asinii postremam mentionem facit (Plut. Caes. 52). Qua re demonstratum sane non est Asinium ducem fuisse Appiani, colligi tamen potest Appiani potius quam Plutarchi. Dein accedit, quod de Cicerone Asinius non melius existimasse videtur quam Appianus. Vide App. II, 15, 22. *Κικέρωνα δὲ γράφεται Κλώδιος παρανόμων, ὅτι πρὸ δικαστηρίου τοὺς ἀμφὶ Λέντλον καὶ Κέθηγον ἀνέλοι. ὃ δ' ἐς τὸ ἔργον ἐκεῖνο γενναιοτάτῳ λήματι κεχρημένος ἀσθενέστατος ἐς τὴν δίκην ἐγίγνετο . . . . ἐς τοσοῦτο δειλίας περὶ μίαν οἰκείαν δίκην κατέπεσεν, ὃς τὸν ὅλον βίον ἐν ἀλλοτρίοις ἐξήταστο λαμπρῶς.* Cf. Asinium in fragmento a Seneca Suas. VI, 24. pag. 46 k. servato: „Utinam moderatius secundas res et fortius adversas ferre potuisset; namque utrae-

que cum venerant ei, mutari eas non posse rebatur .... maiore enim simultates appetebat animo quam gerebat .... Atque ego ne miserandi quidem exitus eum fuisse iudicarem, nisi ipse tam miseram mortem putasset." Itaque quo probabilius est Appianum ab historiis iam ante adhibitis tunc quoque non prorsus se amovisse, eo certus affirmari potest Plutarchum in iis capitibus, de quibus nunc disseruimus, Pollionis historias non adisse.

In vitae Bruti capitibus 28—37 praeter Bruti epistolas, de quibus p. 22—23 disputavimus, nihil Plutarchus addidit, quo significaret, quos auctores secutus esset. Aliam igitur viam ineamus. Si reversi ad caput 23 omnia quae Brutus in Graecia et Asia usque ad bellum Philippense gessit, uno in conspectu contemplamur, facile intellegimus, quantum caput 23 extremaque pars c. 24 ab initio c. 24 et ab c. 25—26 argumento differant, tantum inter se differre cetera capita et in duas partes dividenda esse, quarum altera administrationem provinciae, bellorum etc., altera Bruti dicta, narratiunculas, alia complectatur, quae per se parvi quidem momenti sed apta sint ad mores Bruti illustrandos.

Quae in capp. 28, 30, 32 relata sunt, ex eodem fonte sumpta esse videntur atque bellum contra C. Antonium gestum (c. 25—26). Nam universa comprehensio et species narrationum simillima est et una narratio cum altera aptissime cohaeret. Atque ut ante, ita nunc quae ab Appiano, Dione, Plutarcho nobis tradita sunt, vehementer inter se repugnant. Quamquam enim Appianus (IV, 76—80) multo pluribus rem explicavit, tamen sunt quae solus Plutarchus literis mandaverit, veluti v. Br. 30 Naucratem quendam Lyciis ut a Romanis deficerent incitatis equitibus sexcentis amissis a Bruto victum, dein cum Xanthus obsideretur, urinatores retibus captos esse. Summa rerum sane convenit inter utrumque et Dionem (47, 34). Xanthii eruptione facta, cum opera Romanorum incensa essent, incenderetur oppidum, furore et amentia impulsi deleverunt aedificia, mortem sibi ipsi consciverunt. Neque

tamen exiguae sunt discrepantiae. Plutarchus enim (30) testatur ignem a machinis in muros domosque vento pulsum esse, Dio (l. l.) Romanos urbe capta ignem iniecisse, Appianus (80) Xanthios ipsos urbem incendisse, cum Romanis irrumpentibus de salute desperassent. Omnino Plutarchus nusquam apertis verbis dicit oppidum vi expugnatum esse, sed incendium ita describit, quasi etiam tum extra muros fuissent Romani. Brutus foris equitat studio flagrans servandi quidquid ex incendio casu coorto, ab incolis aucto servari posset. Contra Appianus longa narratione exponit eruptione bis facta cum duo milia Romanorum simul cum oppidanis in urbem irrupissent, cataracta subito demissa Romanos qui foris essent summis viribus perfecisse, ut moenibus ascensis interclusos liberarent. Quod non plane praetermisisset Plutarchus, si auctorem quo Appianus usus est secutus esset. Plura quae discrepent aut conveniant invenire facillimum est. Ut pauca addam, Plutarchus et Appianus testantur permagnam pecuniam Rhodo capta Cassium corrasisse (App. IV, 73. Plut. Br. 32), sed Brutum idem fecisse alter (App. IV, 81), alter (Plut. Br. 32) tradit centum et quinquaginta talenta Brutum Lyciis, Rhodiis Cassium circiter octo milia talentum imperavisse.

His omnibus examinatis negandum est ex eodem fonte Plutarchum, Dionem, Appianum hausisse. Plutarchus autem quem auctorem secutus sit, facilius est dicere de iis capitibus, quae cum aliis libris comparari non possunt. Sunt enim capita 38—37 et initium c. 28, quae cum ab illis quae adhuc tractavimus, argumento multum differant, separanda esse diximus. Atque ea Bibuli *ἀπομνημονεύμασιν* originem debere mihi persuasum est. Neque vereor, ne quis dicat vim et sententiam illius generis narrationum a me non perspectam, sed finibus neglectis extensam esse. Sane quidem non plura quam capita 13. 23. 24 extr. ex illius libro sumpta esse H. Peterus (p. 139—40) iudicat, quia Bibulum non historiam sed Bruti sermones ac sententias memoria traditas et in narrationum formam compositas literis mandavisse ex titulo libelli appa-

reat. At fallor an convenit cum illa definitione narratio, quam legimus v. Bruti 28, 17? *Βροῦτος δὲ τῆς Κικέρωνος τελευτῆς τῇ αἰτίᾳ φησὶν αἰσχύνεσθαι μᾶλλον ἢ τῷ πάθει συναλγεῖν, ἐγκαλεῖν δὲ τοῖς ἐπὶ Ῥώμης φίλοις· δουλεύειν γὰρ αὑτῶν αἰτίᾳ μᾶλλον ἢ τῶν τυραννούντων, καὶ καρτερεῖν ὁρῶντας καὶ παρόντας ἃ μηδ' ἀκούειν αὐτοῖς ἀνεκτὸν ἦν.* Neque video narrationes c. 34. 35. 36—37 et c. 13, 23, 24 qua re inter se differant. Si quis magnum illud caput 13 ex Bibulo haustum esse credat, is nihil habere mihi videtur, cur idem de c. 36—37 dici posse neget.

Huc accedit, quod Bibulus in eorum numero fuit, qui Brutum per Asiam peregrinantem secuti sunt; narravit igitur, quae ipse spectaverat. Cicero enim scripsit exeunte mense Martio a. 45 ad Atticum (XII, 32): „praestabo nec Bibulum nec Acidinum nec Messallam, quos Athenis futuros audio, maiores sumptus facturos.“ Messallam quidem anno sequente in Italiam revertisse scimus e Cic. ad Att. XV, 17. Sed cum ex eadem epistola pateat Ciceronis filium Athenis permansisse, verisimile videtur etiam Bibulum usque ad Bruti vitrici sui adventum philosophiae operam dedisse et ad eum quoque referendum esse quod legimus apud Plutarchum v. Br. 24 *καὶ τοὺς σχολάζοντας ἀπὸ Ῥώμης ἐν ἄστει νέους ἀνελάμβανε καὶ συνεῖχεν* (sc. Brutus). Etsi in incerto relinquendum est, num Bibulus adversus C. Antonium in Epiro militaverit, tamen discimus ex App. IV, 104 cum Brutus, ut Norbani copias circumveniret, per saltus densissimos circuitu trium dierum campos Philippenses petere statuisset, Bibulum et Rhascupolidem praemissos esse, ut viam munirent. Deinde ab Appiano (IV, 136. IV, 38) traditum est Bruto occiso Bibulum in insula Thaso se dedidisse et una cum Messalla in gratiam receptum primum classi, post Syriae provinciae ab Antonio praefectum, priusquam apud Actium debellatum esset, in Syria mortuum esse. Quae cum ita sint, quid probabilius est quam Bibulum, quem *ἀπομνημονεύματα* Bruti collegisse constet, memoriam illius temporis repetivisse, quo cum Bruto ipso in castris fuisset? Itaque nemo mirabitur

narrationes tam accurate expositas esse, ut a teste et spectatore scriptae esse videantur.

Ex Bibuli igitur libello quae hausta esse putaverim, breviter repetam: cap. 13 Porcia se vulnerat, 23 Brutus a Porcia discedit, 24 dies natalis, 28 in. Bruti de Cicerone iudicium, 34 Bruti Cassiique Sardibus colloquium, 35 L. Pella, 36—37 spectrum mali genii. Fortasse addendi sunt loci e Bruti epistolis transcripti cap. 2. 22. 29.

Paucis verbis absolvamus, quae de Pompei morte v. Br. 33 narrata multoque subtilius in v. Pomp. explicata sunt. Si quod Cassium, non Brutum de Theodoto supplicium sumpsisse testatur Appianus (II, 90) et pauca alia exceperis, plurima congruunt cum App. II, 84 sqq. Quam similitudinem ex eo optime explicari posse H. Peterus p. 119 censet, quod uterque Livium secutus sit. Cui opinioni id certe non obstat, quod sola apud Livium et Plutarchum mentio exstat Theodotum Caesari caput Pompei obtulisse. Cf. Liv. epit. 112. Plut. Caes. 48.

Etiam caput 29, quo Brutus et Cassius inter se comparati sunt, neque in Bibuli libellum neque in eum librum unde belli Lycii narratio sumpta est quadrare claret neque sine subsidio aliorum auctorum suas cogitationes Plutarchum literis mandavisse patet ex ipsius verbis p. 77 v. 17 *Βροῦτον δὲ λέγουσι δι' ἀρετὴν φιλεῖσθαι* p. 78 v. 5 *Βρούτῳ δὲ λέγουσι μηδὲ τοὺς ἐχθροὺς προςβάλλειν τοιαύτην μεταβολήν.* Animadvertendum autem est Plutarchum hac comparatione ad Caesaris necem reversum occulte Brutum defendere, si dicat Cassium magis sibi imperium quam aliis libertatem petivisse Antoniumque dixisse se putare solum Brutum splendore et laude facinoris illius, quod optimum crederet, ceteros odio atque invidia permotos esse, ut Caesarem occiderent. Quodsi mortem Caesaris Empylo duce Plutarchum enarravisse consideramus, nonne probabile videtur, quae apud Empylum legisset, in memoriam revocata hoc loco eum adhibuisse?

In postrema vitae Bruti parte (c. 38—53), qua bellum Philippense descriptum est, Messallae et Volumnii vestigia Plutarchum pressisse iam alii satis certis argumentis affirmaverunt. Cf. H. Peter. p. 137 sqq. et Wiese de M. Val. Messallae Corvini vita et studiis doctrinae Berol. 1829 p. 72. Attamen si totam hanc quaestionem retractabo, me operae pretium facturum esse spero, quia nondum accurate divisum est quid Messallae, quid Volumnio tribuendum sit, et quia repugnandum est iis, qui Plutarchum et Appianum inter se ita consentire, ut eosdem auctores secuti sint, arbitrantur. Concedendum sane est summam esse similitudinem inter Appianum et Plutarchum in iis locis, quos Peterus p. 138 collegit, et in paucis aliis.

Cf. Plut. Br. 50.	App. IV, 129, 25.
Ἦν δέ τις Λουκίλλιος, ἀνὴρ ἀγαθὸς, ἐν τοῖς ἑταίροις. Οὗτος ὁρῶν βαρβάρους τινὰς ἱππέας ἐν τῇ διώξει τῶν μὲν ἄλλων οὐδένα ποιουμένους λόγον, ἐλαύνοντας δὲ ῥύδην ἐπὶ τὸν Βροῦτον, ἔγνω παρακινδυνεύσας ἐμποδὼν αὐτοῖς γενέσθαι. Καὶ μικρὸν ὑπολειφθεὶς αὐτὸς ἔφη Βροῦτος εἶναι· καὶ πιθανὸς ἦν πρὸς Ἀντώνιον δεόμενος ἄγειν ἑαυτὸν, ὡς Καίσαρα δεδοικώς, ἐκείνῳ δὲ θαρρῶν. Οἱ δ' ἀσπασάμενοι τὸ εὕρημα καὶ τύχῃ τινὶ θαυμαστῇ κεχρῆσθαι νομίζοντες ἦγον τὸν ἄνδρα σκότους ἤδη, προπέμψαντες ἐξ αὐτῶν τινας ἀγγέλους παρὰ τὸν Ἀντώνιον. Αὐτός τε οὖν ἡσθεὶς ἀπήντα τοῖς ἄγουσι, καὶ τῶν ἄλλων οἱ πυνθανόμενοι ζῶντα Βροῦτον κομίζεσθαι συνετρόχαζον, οἱ μὲν ἐλεεινὸν ἡγούμενοι τῆς τύχης, οἱ δὲ τῆς δόξης ἀνάξιον, ἄγραν βαρβάρων ὑπὸ	οἱ δὲ Βροῦτον αὐτὸν ἐδίωκον. καὶ αὐτοὺς ἀσχέτως ἔχοντας τοῦ δρόμου Λουκίλιος ἰδὼν ὑπέστη καὶ ὡς Βροῦτος ὢν ἠξίου πρὸς Ἀντώνιον ἀντὶ τοῦ Καίσαρος ἀναχθῆναι· ᾧ δὴ καὶ μάλιστα εἶναι Βροῦτος ἐνομίσθη, τὸν ἀδιάλλακτον ἐχθρὸν ἐκκλίνων. ἀγομένου δὲ αὐτοῦ πυθόμενος ὁ Ἀντώνιος ἀπήντα σὺν ἐπιστάσει, τὴν τύχην ὁμοῦ καὶ τὸ ἀξίωμα τἀνδρὸς καὶ

φιλοψυχίας γενόμενον. Ἐπεὶ δ' ἐγγὺς ἦσαν, ὁ μὲν Ἀντώνιος ὑπέστη διαπορῶν, ὅπως χρὴ δέξασθαι τὸν Βροῦτον, ὁ δὲ Λουκίλλιος προσαχθεὶς μάλα τεθαρρηκὼς „Μάρκον μέν“ εἶπεν. „Ἀντώνιε, Βροῦτον οὐδεὶς ᾕρηκεν οὐδ' ἂν ἕλοι πολέμιος· μὴ τοσοῦτον ἡ τύχη κρατήσειε τῆς ἀρετῆς. Ἀλλ' ἐκεῖνος εὑρεθήσεται ζῶν ἤ που καὶ νεκρὸς ἀξίως κείμενος ἑαυτοῦ. Ἐγὼ δὲ τοὺς σοὺς στρατιώτας παρακρουσάμενος ἥκω, παθεῖν οὐδὲν ἐπὶ τούτῳ τῶν ἀνηκέστων παραιτούμενος.“ Ταῦτ' εἰπόντος τοῦ Λουκιλλίου καὶ πάντων ἐκπλαγέντων Ἀντώνιος πρὸς τοὺς κομίσαντας αὐτὸν ἀποβλέψας· „Ἦπου χαλεπῶς“ εἶπεν „ὦ συστρατιῶται, φέρετε τῇ ἁμαρτίᾳ περιυβρίσθαι δοκοῦντες. Ἀλλ' εὖ ἴστε κρείττονα τῆς ζητουμένης ἄγρας ᾑρηκότες. Πολέμιον γὰρ ζητοῦντες ἥκετε φίλον ἡμῖν κομίζοντες· ὡς ἐγὼ Βρούτῳ μὲν οὐκ οἶδα μὰ τοὺς θεοὺς ὅ τι ἂν ἐχρησάμην ζῶντι, τοιούτων δ' ἀνδρῶν φίλων τυγχάνοιμι μᾶλλον ἢ πολεμίων.“ Ταῦτ' εἰπὼν καὶ τὸν Λουκίλλιον ἀσπασάμενος τότε μὲν ἑνὶ τῶν φίλων συνέστησεν, ὕστερον δὲ χρώμενος εἰς πάντα πιστῷ καὶ βεβαίῳ διετέλεσε.

ἀρετὴν ἐνθυμούμενος, ὅπως Βροῦτον ὑποδέξαιτο. πλησιάσαντι δ' ὁ Λουκίλιος ἐντυχὼν μάλα θρασέως εἶπε „Βροῦτος μὲν οὐχ ἑάλωκεν, οὐδὲ ἁλώσεταί ποτε πρὸς κακίας ἀρετή. ἐγὼ δὲ τούσδε ἀπατήσας ὧδέ σοι πάρειμι.“ καὶ ὁ Ἀντώνιος τοὺς ἱππέας ἰδὼν αἰδουμένους παρηγόρει, καὶ „οὐ μείονά μοι τήνδε ἄγραν“ εἶπεν „ἀλλ' ἀμείνονα ἧς ἐνομίζετε ἐθηρεύσατε, ὅσῳ κρεῖττον ἐχθροῦ φίλος.“ καὶ τὸν Λουκίλιον τότε μέν τινι τῶν φίλων ἔδωκε θεραπεύειν, ὕστερον δὲ αὐτὸς ἔχων ἐχρῆτο ὡς πιστῷ.

Quae cum multo brevius descripserit, ne quis credat Appianum ex Plutarcho hausisse, addo alterum locum, quo paulo pluribus verbis quam Plutarchus Brutum Cassii mortem questum esse narravit.

Plut. Br. 44, 11.	App. IV. 114, 7.
Καὶ τὸ μὲν σῶμα περικλαύσας, καὶ προςαγορεύσας ἔσχατον ἄνδρα Ῥωμαίων τὸν Κάσσιον, ὡς οὐκ ἔτι τῇ πόλει τηλικούτου φρονήματος ἐγγενέσθαι δυναμένου, περιέστειλε καὶ ἀπέπεμψεν εἰς Θάσον, ὡς μὴ σύγχυσιν αὐτόθι παράσχοι κηδευόμενον.	*Βροῦτος δὲ Κασσίου τὸν νέκυν περικλαίων, ἀνεκάλει τελευταῖον ἄνδρα Ῥωμαῖον, ὡς οὔ τινος ἔτι τοιοῦδε ἐς ἀρετὴν ἐσομένου, ταχυεργίας τ' αὐτῷ καὶ προπετείας ἐνεκάλει, καὶ ἐμακάριζεν ὁμοῦ φροντίδων καὶ ἀνίας ἀπηλλαγμένον, αἳ Βροῦτον ἐς ποῖον ἄρα τέλος ὁδηγοῖσιν; παραδοὺς δὲ τὸ σῶμα τοῖς φίλοις, ἔνθα λαθραίως θάψειαν, ἵνα μὴ καταδακρύσειε τὸν στρατὸν ὁρῶντα....*

Ceteros locos simillimos enumerare sufficiet. Confer Plut. Br. 37, 10. App. IV, 103, 3. Duae aquilae exercitum sequuntur. Br. 39, 14. App. 134, 12 quattuor prodigia. Br. 41. 13. Ant. 22, 12. App. 110, 2 somnium medici Caesaris. Br. 43, 10. App. 113, 26 mors Cassii. Br. 45. p. 92, 21. App. 112, 9 numerus mortuorum. Br. 46, 8. App. 118, 13. Brutus pecunia distributa Lacedaemonem et Thessalonicam diripiendas militibus se concessurum pollicitus est. Br. 48, 11, App. 128, 9 pugna duarum aquilarum. Br. 48, 15. App. 134, 26 mors Aethiopis. Br. 49, 13. Cat. Utic. 73, 10 mors Catonis. Br. 51, 26. App. 130, 14 versus Euripideus. Br. 53, 29. App. 135, 7. Antonius corpus Bruti honorat.

Neque id neglegendum est, quod etiam Dio interdum cum Appiano et Plutarcho convenit. Cf. Dio. 47, 40 quattuor prodigia, 41 somnium medici Caesaris, 46 mors Cassii, 47 corpus Cassii in Thasum missum, 48 pugna duarum aquilarum.

App. IV, 134, 12.	Plut. Br. 39, 14.	Dio. 47, 40.
Κασσίῳ τε γὰρ τὸν στρατὸν καθαίροντι ὁ ῥαβδοῦχος	*Οὐ μὴν ἀλλὰ σημεῖον ἐν τῷ καθαρμῷ μοχθηρὸν ἔδοξε Κασσίῳ γενέσθαι. Τὸν γὰρ στέ-*	*ἐν δὲ δὴ τῇ Μακεδονίᾳ . . . μέλισσαί τε πολλαὶ τὸ τοῦ Κασσίου στρατόπεδον πε-*

ἀνεστραμμένον τὸν στέφανον ἐπέθηκε· καὶ νίκη, χρύσεον ἀνάθημα Κασσίου, κατέπεσεν, ὄρνεά τε πολλὰ ὑπὲρ τὸ στρατόπεδον αὐτοῦ καθήμενα κλάγγην οὐδεμίαν ἠφίει, καὶ μελισσῶν ἐπεκάθηντο συνεχεῖς ἑσμοί.

φανον αὐτῷ κατεστραμμένον ὁ ῥαβδοῦχος προςήνεγκε. Λέγεται δὲ καὶ πρότερον ἐν θέᾳ τινὶ καὶ πομπῇ χρυσῆν Κασσίου Νίκην διαφερομένην πεσεῖν ὀλισπόντος τοῦ φέροντος. Ἔτι δ' ὄρνεά τε σαρκοφάγα πολλὰ καθ' ἡμέραν ἐπεφαίνετο τῷ στρατοπέδῳ καὶ μελισσῶν ὤφθησαν ἑσμοὶ συνιστάμενοι περὶ τόπον τινὰ τοῦ χάρακος ἐντός, ὃν ἐξέκλεισαν οἱ μάντεις ἀφοσιούμενοι τὴν δεισιδαιμονίαν . . . .

ριέσχον, κἂν τῷ καθαρσίῳ αὐτοῦ τὸν στέφανόν τις τραπέντα πάλιν αὐτῷ ἐπέθηκεν, παῖς τε ἐν πομπῇ τινί, οἵας οἱ στρατιῶται ἄγουσι, νίκην φέρων ἔπεσεν. καὶ ὅγε μάλιστα τὸν ὄλεθρόν σφισιν ἐσήμηνεν ὥστε καὶ τοῖς ἐναντίοις ἔκδηλον γενέσθαι. πολλοὶ μὲν γῦπες, πολλοὶ δὲ καὶ ἄλλοι ὄρνιθες νεκροφάγοι ὑπέρ τε ἐκείνων μόνων διεφοίτων καὶ ἐς αὐτοὺς κατέβλεπον δεινόν τέ τι καὶ φρικῶδες κλάζοντές τε καὶ τρίζοντες.

Eadem sunt prodigia, sed ordine eorum Appianus et Plutarchus differunt a Dione, quocum Iulius Obsequens 70 (O. Iahn. p. 138) consentit: „Bruto et Cassio pugnam adversus Caesarem et Antonium molientibus in castris Cassii examen apum consedit“ etc. Dionem autem Livio usum esse cum ex hoc conici licet, tum illa narratione comprobatur, qua Caesarem somnio medici Artorii permotum esse, ut castra relinqueret, Dio 47, 41 simillima ratione tradidit atque Valerius Maximus I, 7, 1. Haec narratio ex Augusti quidem libris haud dubie exorta a Livio tamen vix praetermissa est, quem Iulii Obsequentis et Valerii Maximi saepe ducem fuisse constat. Quodsi cetera quoque quae commemoravimus Dionem e Livio sumpsisse, minime tamen Plutarchum Livio duce usum esse arbitrati quaerimus, quidnam sit, cur paucis illis locis Dio et Plutarchus mirum in modum inter se congruant, has causas invenimus duas: aut Livius et Plutarchus eundem

scriptorem, Messallam, secuti sunt, aut illae narrationes tunc sermonibus hominum sic percelebratae erant, ut Livius eas undique sumere posset. Utra causa vera sit, ad nostram quaestionem parum valet. Dio autem num in toto bello Philippensi enarrando Livium secutus sit, diiudicare mihi in animo non est, etsi id probabile esse minime credo. Nam Dionis descriptio est parum accurata continetque fere nihil nisi quae in omnibus pugnis eveniunt. Ceterum cum pauca quae nova sint, discamus, et plurima ab aliis auctoribus sine causa discrepare videantur, Dionem diutius ad comparationem adhibendum esse non puto.

Revertamur igitur ad Appianum et Plutarchum. Ex locis illis simillimis minime patet totam narrationem simillimam esse. Sed facile est intellectu omnia, quae inter se congruant, esse quaedam facta memorabilia, quae ad idem genus narrationis pertineant et ex continuitate totius descriptionis optime solvi possint, veluti mors Cassii et Bruti querelae, mors Bruti et Antonii verecundia. At contra descriptionem belli, consilia imperatorum, motus exercituum, proelia et eventus rerum nihil habere illius similitudinis nemo negabit. Nam plurima eorum quae Appianus IV, 87—138 Plutarchus v. Br. 38—53 tradiderunt, tradit alter, alter ignorat. Id quidem maximi momenti esse non contenderim, quoniam diversissimas rationes in historia scribenda Appianus et Plutarchus inierunt, quorum alter totum bellum civile, quomodo ortum, gestum, finitum sit, describere, alter unum tantum unius exercitus ducem illustrare et celebrare sibi proposuit. Quodsi quibus itineribus ambo exercitus Philippos contenderint, qua ratione Brutus fauces Sapaeas circumvenerit, alia quae ante pugnas facta sint, a Plutarcho paucis verbis absoluta, ab Appiano accuratissime exposita esse consideramus, causam huius diversitatis esse diversum consilium historiarum facile perspicimus. At longe aliter res sese habet. si quid Appianus literis mandavit, quod, etiamsi maxime ad Brutum pertinet, Plutarchus praetermisit. Nam aliunde non compertum est nisi ex Appiano (IV, 114) Brutum cibo et somno abstinentem totam noctem,

quae mortem Cassii sequeretur, in colligendis Cassiani exercitus reliquiis exegisse; postero die mane cum hostes, ne pro victis haberentur, in aciem progressi acie a Bruto quoque instructa in castra se recepissent. Brutum cavillantem dixisse: *Οἱ μὲν δὴ προκαλούμενοι ἡμᾶς ὡς κεκμηκότας οὐδὲ ἀπεπείρασαν.* Porro Appianus (IV, 124) narrat militibus et legatis, ut debellaretur, instantibus Brutum concessisse sic locutum: *Ἐοίκαμεν ὡς Πομπήϊος Μάγνος πολεμήσειν, οὐ στρατηγοῦντες ἔτι μᾶλλον ἢ στρατηγούμενοι.* Sed Plutarcho teste (v. Br. 40) Cassius cum Messalla colloquens *Μαρτύρομαί σε* inquit *Μεσσάλλα, ταὐτὰ Πομπηΐῳ Μάγνῳ πάσχειν, ἀναγκαζόμενος διὰ μιᾶς μάχης ἀναρρῖψαι τὸν περὶ τῆς πατρίδος κύβον.*

Deinde monendum est Appianum et Plutarchum multis rebus inter se dissidere, quarum hae sunt gravissimae. App. IV, 109 Brutus et Cassius bellum trahunt. Plut. Br. 39. Brutus armis quam celerrime decernendi studiosissimus concilio convocato obtinuit, ne pugna diutius differretur. — App. 109—110 Antonius ubi circa meridiem intellexit Cassium transverso vallo viam per paludes factam interrupturum esse, nullo consilio pugnandi ab hostibus ante capto, confestim exercitum adversus Cassii munitiones duxit. v. Br. 39. extr. —40 Postquam Brutus et Cassius posterum diem pugnae constituerunt, proelium non casu exortum, sed a Bruto commissum est. — App. 110. Bruti milites primum Antonii exercitum a latere adoriuntur, tum demum adversus castra Octaviani se convertunt. v. Br. 41 tessera non exspectata Caesarianos aggrediuntur. — App. 123, 4 Brutus de victoria in mari Ionio a Murco reportata certior factus pugna abstinere pergit. v. Br. 45, 14 Casus quidam magis quam culpa classis praefectorum impedivit, quominus viginti diebus intermissis Brutus de proelio navali certior fieret. Si scivisset, proelium non redintegrasset. — App. 128. Postquam diu acriter pugnatum est, Caesar dexterum cornu Bruti in fugam vertit. v. Br. 49 Brutus Caesaris exercitum vicit, sed media acie distracta Cassianis pulsis fugatisque ipse ab

hostibus a tergo adorientibus superatus est. — App. 131 Quattuor legiones Brutus servavit. v. Br. 51 Pauci legati et amici Brutum fugientem sequuntur.

Quae cum ita sint, cum multa inter se discrepent, multa congruant, plurima autem, etiamsi ordine rerum restituto inter se coniungi possint, non ab utroque sed ab altero utro tradita sint, nemo dubitabit, quin Appianus non solum auctores Plutarchi, sed etiam alios adhibuerit. Cogitari quidem licet, si Appianus Plutarcho repugnet, alterum ex Messalla, alterum ex Volumnio hausisse. At Appianum omnino Volumnii notitiam habuisse certis argumentis affirmari non potest, Messallae interdum repugnasse facile potest demonstrari.

Volumnium bis tantum in postremis capitibus Plutarchus citavit. Postquam enim initio capitis 48 malum genium Bruto iterum apparuisse narravit, sic pergit 48, 5: *Πόπλιος δὲ Βολούμνιος, ἀνὴρ φιλόσοφος καὶ συνεστρατευμένος ἀπ' ἀρχῆς Βρούτῳ, τοῦτο μὲν οὐ λέγει τὸ σημεῖον, μελισσῶν δέ φησι τὸν πρῶτον ἀετὸν ἀνάπλεων γενέσθαι· καὶ τῶν ταξιάρχων τινὸς ἀπ' αὐτομάτου τὸν βραχίονα μύρον ῥόδινον ἐξανθεῖν, καὶ πολλάκις ἐξαλείφοντας καὶ ἀπομάττοντας, μηδὲν περαίνειν.* Post haec pugnam duarum aquilarum et mortem Aethiopis narravit. Initium igitur et finem capitis tradidit etiam Appianus (IV, 128, 134), praetermisit ipsa ea prodigia, quae ex Volumnio se sumpsisse Plutarchus apertis verbis testatus est. Qui iterum Volumnium citavit c. 51, 26: *πρῶτα μὲν ἀποβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν ἀστέρων ὄντα μεστὸν ἀνεφθέγξατο δύο στίχους, ὧν τὸν ἕτερον Βολούμνιος ἀνέγραψε· Ζεῦ, μὴ λάθοι σε τῶνδ' ὃς αἴτιος κακῶν· τοῦ δ' ἑτέρου φησὶν ἐπιλαθέσθαι.* Eundem versum Euripideum (Med. 332) memorat Appianus IV, 130, 14 *καί φασιν αὐτὸν ἐς τοὺς ἀστέρας ἀναβλέποντα εἰπεῖν „Ζεῦ, μὴ λάθοι σε τῶνδ' ὃς αἴτιος κακῶν," ἐνσημαινόμενον ἄρα τὸν Ἀντώνιον.* Sed proxima inter se discrepant. Initio enim capitis 51 Plutarchus refert *ὀλίγων περὶ αὐτὸν ἡγεμόνων καὶ φίλων ὄντων* Brutum fugisse, quem Appianus (IV, 130) dicit *σὺν ἱκανῷ πλήθει* se recepisse et pernoctasse *ἔνοπλον μετὰ πάντων.* Illorum autem

comitum paucorum unum fuisse Volumnium discimus ex Plut. Br. 51, 8 *ὁ Βροῦτος πρὸς τὸν Βολούμνιον εἶπεν.* 52, 25 *Τέλος δὲ τὸν Βολούμνιον αὐτὸν Ἑλληνιστὶ τῶν λόγων καὶ τῆς ἀσκήσεως ὑπεμίμνησκε* etc. Itaque non dubium esse videtur, quin omnia in his duobus capitibus narrata Plutarchus e Volumnio deprompserit. Quorum nulla mentio facta est apud Appianum, neque audacis illius militis, qui aquam e rivo haustam Bruto et Volumnio attulit, neque Statilii, qui cum per medios hostes, ut nuntiaret, num castra capta essent, perrupisset, significatione ignibus facta rediens interfectus est, neque ceterarum narrationum. Sola extrema pars capitis 52, quae, cum verba *οἱ δέ φασιν* praemissa sint, ex alio fonte atque totum caput haud dubie sumpta est, etiamsi optime cum Appiani narratione non convenit, tamen memoriam illius affert. Cf. App. IV, 131, 7. At contra omnia quae post versum Euripideum ab Appiano narrata sunt, in vita Bruti desiderantur. Ne id quidem refert Plutarchus Antonium postea in periculis versatum etiam illius versus meminisse. Quodsi consideramus ex omnibus, quae Plutarchum e Volumnio sumpsisse pro certo habemus, nihil aliud apud Appianum exstare nisi illum unum versum a Bruto sidera intuenti dictum, ipso Volumnio Appianum duce usum esse veri dissimillimum mihi videtur. Facile versus in auctorem Appiani transcribi potuit.

Messalla saepius a Plutarcho laudatus est. Cf. v. Br. 40, 15 *Κάσσιον δὲ Μεσσάλας φησὶ δειπνεῖν τε καθ᾽ ἑαυτὸν ὀλίγους τῶν συνήθων παραλαβόντα καὶ* etc. 40, 24 *Ταῦτα εἰπόντα φησὶν ὁ Μεσσάλας τελευταῖα πρὸς αὐτὸν ἀσπάσασθαι τὸν Κάσσιον.* p. 88, 20 *Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τοῦτο Κάσσιος* (Bruto) *ἔδωκε καὶ τῶν ταγμάτων τὸ μαχιμώτατον ἔχοντα Μεσσάλαν ἐκέλευσεν ἐπὶ τοῦ δεξιοῦ καταστῆναι.* 41, 8 *Γενομένης δὲ δι᾽ ἀταξίαν ταύτην ἀνωμαλίας καὶ διασπασμοῦ τῶν ταγμάτων τὸ Μεσσάλα πρῶτον, εἶτα τὰ συνεζευγμένα παρήλλαττε τὸ Καίσαρος ἀριστερόν·* 42, 11 *ἐπεὶ τῆς γε νίκης ὅρον ὁ Μεσσάλας τίθεται τὸ τρεῖς ἀετοὺς καὶ πολλὰ σημεῖα λαβεῖν τῶν πολεμίων, ἐκείνους δὲ μηδέν.*

45, p. 92, 29 *Ἔπεσον δὲ τούτων μὲν ὀκτακισχίλιοι σὺν τοῖς στρατευομένοις οἰκέταις, οὓς Βρίγας ὁ Βροῦτος ὠνόμαζε· τῶν δ' ἐναντίων Μεσσάλας φησὶν οἴεσθαι πλείους ἢ διπλασίους.* p. 93, 23 *Μεσσάλας δὲ Κορβῖνος ἐδικαίου πληγαῖς κολασθέντας ἐπὶ σκηνῆς γυμνοὺς* (duos captivos) *ἀποδοθῆναι τοῖς στρατηγοῖς τῶν πολεμίων* etc. Certum igitur est historiam Messallae magna ex parte fundamentum fuisse capitum 40—45 vitae Bruti. Maxime quae in conspectum suum venerant, Messalla literis mandavisse videtur, quem Cassii amicum (40, 15) et legatum (p. 88, 20) fuisse, tum cum una legione in dextro latere Bruti pugnavisse (41, 8) ex ipso Plutarcho patet, et probabile videtur etiam ad concilium, quo pugna in posterum diem constituta est, eum adhibitum esse (c. 39). Quo relato Messalla postquam sermones inter se ipsum et Cassium et Cassium Brutumque habitos et victoriam Bruti accurate pertractavit, milites castris hostium direptis reversos nesciosque, quid in altero cornu factum esset, ex longinquo Cassii castrorum perturbationem conspexisse descripsit atque ad initium pugnae alterorum cornuum rediens cladem et mortem Cassii copiose exornavit. Nam quis est qui credat imperatoris sui exitum Messallam praetermisisse, praesertim cum sciat Tacitum testatum esse Ann. IV, 54: „Messalla Corvinus imperatorem suum Cassium praedicabat." Deinde ad res proximis diebus gestas transgressus rettulit, qua ratione Brutus Cassianos cohortatus esset et de captivis consuluisset.

Priusquam quaerere pergam quae Plutarchus e Messalla Corvino sumpserit, cum his capitibus 39—45 Appiani libri quarti capita 87—118 conferenda sunt. Huc pertinent narrationes de duabus aquilis, de quattuor prodigiis, de somnio medici, de morte et exsequiis Cassii, de numero mortuorum, quarum similitudo, cum Plutarchum Messallae commentariis usum esse sciamus, qua ratione explicari potest nisi hac, quod Appianus quoque Messallam ipsum aut alium auctorem, qui e Messalla narrationes illas exscripsisset, secutus sit? Simul autem apparet ex plurimis quae a Plutarcho discrepant, si ipse Messalla Appiani auctor fuerit, duos scriptores ab

Appiano adhibitos esse. Nam summam rerum, consilia imperatorum et proelia ab Appiano aliter atque a Plutarcho descripta esse supra demonstravimus. Neque crediderim a Messalla, quem cum Antonio etiam literis pugnavisse constet, prudentiam ac virtutem inimici tam aequo animo laudatam esse quam ab Appiano IV, 109—112 factum est, sed multo probabilius esse videtur res ab Antonio gestas non pluribus verbis Messallam exposuisse quam Plutarchum, qui res bene gestas brevissime perstrinxit neque crimen ignaviae omisit, quo Antonius insimulatus est (Plut. Br. 42, p. 90, 2. v. Ant. 22 p.364, 17.). Verum, quem Appianus praecipue in enarrando bello Philippensi secutus sit, haud scio an pro certo affirmari vix possit. Constat sane auctorem Appiani nec metu imperatoris Augusti nec studio Bruti defendendi permotum esse, ut veri victoris gloriam elevaret. Quid melius conveniat cum C. Asinii Pollionis historiis? At hic cavendum est, ne inconsulte iudicemus. Asinium enim historiam bellorum civilium non finivisse nostra aetate complures viri doctissimi statuere videntur. Atque Bernhardyus (elementa literarum Romanarum adn. 173) ne dubitat quidem, quin parva operis parte perfecta Asinius a proposito se averterit. Solum id tamen certum est Asinium in bellis civilibus enarrandis saltem ad Ciceronis mortem pervenisse. Nam exstat apud Senecam Suas. VI fragmentum historiarum Asinii, quo de Ciceronis iam mortui ingenio et moribus optime iudicatum est. At etiam de bello Philippensi et exitu Cassii et Bruti Asinium egisse ex Tac. Ann. IV, 34 „Asinii Pollionis scripta egregiam eorundam memoriam tradunt“ sine ulla dubitatione colligi minime potest, cum illa Tacitea fortasse ad coniurationem, qua Caesar occisus est, referenda sint. Neque vero certiora esse mihi videntur argumenta eorum, qui Pollionem usque ad id tempus historiam non adduxisse demonstrare velint. Qui quid aliud proferre possunt nisi vestigia posteriorum librorum non exstare (cf. Plut. Caes, 46, Pomp. 72. App. II, 82. Suet. Caes. 30. 55, 56. Tac. IV, 34. Senn. Suas. VI), et Horatium (Od. II, 1) cecinisse „periculosae plenum opus aleae“, et Suidam

tradidisse quae mirum in modum inter se mixta et conturbata sint? Atque etiamsi concederem libros septemdecim historiarum Romanarum, quos Asinium Pollionem Romanum composuisse Suidas auctor est, sophistae illi Tralliano tribuendos esse neque negarem virum egregium et liberalem, qui suum iudicium alterius licentiae subiectum esse doleret, statu rei publicae et nimia Augusti potentia eo adductum esse, ut desineret „incedere per ignes suppositos cineri doloso", tamen his rebus certa testimonia allata esse, ex quibus Asinium usque ad bellum Philippense non pervenisse appareret, nullo modo mihi persuasum est. Itaque non prorsus reiciendum esse statuo Asinii historias etiam huius belli civilis scribendi quasi fundamentum Appianum posuisse. Sane quidem, si Appianum Pollione usum esse putamus, non erit dubium, quin etiam Messallam ipsum adhibuerit, quod ex Messalla Pollionem tot narrationes exscripsisse minime credibile videtur.

Restat, ut quaeramus, unde capita 46—50 v. Br. sumpta sint. Si certum est e Volumnio vix plus quam illum unum versum Euripideum in Appiani historiam pervenisse, non minus certum erit e Messalla deprompta esse ea, quae in ceteris capitibus inter Plutarchum et Appianum conveniant. Neque ea, quibus alter ab altero dissentit, Volumnio tribuenda sunt, quia Appianum saepe Messallae quoque Corvino repugnasse e capitibus 39—45 cognovimus. Itaque non dubito statuere etiam capita 46—50 Plutarchum deprompsisse e Messalla praeter mediam partem capitis 48, ubi primum Volumnii Plutarchus meminit et quis sit accurate dicit *Πόπλιος δὲ Βολούμνιος, ἀνὴς φιλόσοφος καὶ συνεστρατευμένος ἀπ' ἀρχῆς Βρούτῳ*, quod non exiguum argumentum est hoc demum loco praeter Messallam a Plutarcho Volumnium adhibitum esse.

Denique postquam cap. 51 et 52 e Volumnio Plutarchus sumpsit, regressus est ad Messallam capite 53, quo ineunte narravit Stratonem a Messalla imperatori Augusto his verbis commendatum esse „*Οὗτός ἐστιν, ὦ Καῖσαρ, ὁ ἀνὴρ, ὁ τῷ ἐμῷ Βρούτῳ τὴν τελευταίαν ὑπουργήσας χάριν.*", unde simul

apparet postrema verba capitis 52 inde ab οἱ δέ φασιν, ubi Stratonem Bruto gladium obiecisse traditum est, petita esse ex Messalla.

De libris autem Messallae et Volumnii aliquid certi afferre difficillimum videtur, neque scio an id nobis sit desperandum. Nam ne titulum quidem librorum veteres scriptores nobis servaverunt. Neque ausim significare vel contendere, a quo initio usque ad quem finem Messalla et Volumnius commentarios scripserint, si non solum bellum Philippense et interitum Cassii Brutique narravisse putantur. Quae res si ita se habeat, non ineptum esse videatur cogitare etiam in rebus a Bruto in Graecia et Asia gestis scribendis inde ab c. 24 Plutarchum altero utro duce usum esse. Nam in Bruti exercitu Volumnium ab initio militasse scimus e cap. 48 v. Br. συνεστρατευμένος ἀπ᾽ ἀρχῆς Βρούτῳ). Messallam autem Athenas cum Bibulo et Acidino a 45 profectum (Cic. ad Att. 12, 32), anno sequente ante Idus Iunias in Italiam reversum (Cic. Att. 15, 17), post a triumviris proscriptum fugisse ad Brutum et Cassium testantur Appianus IV, 38. V, 113 et Dio 47, 11. Fratrem eius Gellium Poblicolam primum Bruto, tum Cassio insidiatum nullo supplicio esse affectum tradit Dio 47, 24. Quas insidias factas esse antequam Brutus et Cassius omnibus transmarinis provinciis exercitibusque in potestatem suam redactis Smyrnae congrederentur, patet ex Livii epitome 122. Qui si pergit „M. Messallae Poplicolam fratrem victum communi consilio condonaverunt.“, nonne probabile videtur iam eo tempore Messallam in eorum exercitu fuisse? At cum de libris ipsis nihil compertum habeamus, quis Plutarchum iam ante bellum Philippense utriusque commentarios secutum esse non modo conicere sed etiam affimare velit?

Reliquum est, ut de Nicolao philosopho et Valerio Maximo pauca disseramus, ad quorum auctoritatem in Por-

ciae Bruti uxoris morte narranda Plutarchus c. 53 refugit. In libris Valerii Maximi multa inveniuntur, quae similiter a Plutarcho narrata sunt.

Val. Max. I, 4, 6.	Plut.	Cic.	47	de morte Ciceronis.
I, 4, 7.	Plut.	Br.	48	pugna duarum aquilarum. App. IV, 128.
I, 5, 7.	Plut.	„	24	Bruti dies natalis. App. IV, 134.
I, 7, 1.	„	„	41	v. Ant. 22 somnium medici Artorii. App. IV, 134. Dio 47, 41.
I, 7, 2.	„	Caes.	63	somnium Calpurniae App. II, 115; Dio 44, 17.
III, 1, 3.	„	Br.	9	Cassius et Faustus, Sullae filius.
2, 15.	„	„	13	Porcia se ipsa vulnerat. Dio 44, 13.
IV, 5, 6.	„	„	17	Caes. 66 de Caesaris morte. Dio 44, 19. App. II. 117.
IV, 6. 5.	„	„	53	mors Porciae. Dio 47, 49. App. IV, 136.
V, 1, 10.	„	„	33	v. Pomp. 77—80 v. Caes. 48 mors Pompeii.
1, 11.	„	„	53	Ant. 22 Antonius Bruti corpus honorat App. IV, 135.
3, 4.	„	Cic.	47	sqq. mors Ciceronis App. IV. 19—20. Dio 47, 11.
VI, 4, 5.	„	Br.	29	Bruti ante priorem pugnam Philippensem dicta.
8, 4.	„	„	43	mors Cassii App. IV, 113. Dio 47, 46.
VIII, 11, 2.	„	Caes.	53	Idus Martiae App. II, 153. Dio 44, 17 et 18.
IX, 9, 1.	„	Br.	20	mors Helvii Cinnae. App. II, 147. Dio 44, 50.
9, 2.				iterum mors Cassii.

Quarum narrationum magnam partem a Plutarcho multo copiosius quam a Valerio Maximo expositam esse nemo negabit, alias alio modo inter se differre pauca exempla demonstrabunt.

In narratione de medici somnio Appianus et Plutarchus ad auctoritatem Augusti provocant, minime Valerius. Plutarchus (Br. 24) Apollinem a Bruto signum datum esse testatur, Valerius (I, 5,7.) a Caesare et Antonio. Plutarcho teste Porcia se ipsa vulneravit, ut in rebus silendis constantiam sibi atque animi vim esse marito ostenderet; Valerius tradit, cum de coniuratione iam certior facta esset, illam se vulnerasse, ut experiretur, si Bruto propositum parum ex sententia cessisset, quam aequo animo se ferro esset interemptura. Omnes tales narrationes Plutarchum e Valerio non sumpsisse in aperto est. Quod cum de plerasque valeat omnesque ad idem genus narrationum pertineant, nullam e Valerio sumptam esse haud dubie contendi licet. Itaque ut illam narrationem de morte Porciae simul ex Valerio et Nicolao adnotatam falsam esse doceret, Plutarchum ex Bruti epistolis argumentum petivisse quis credat? Totam argumentationem ex scriptore posterioris aetatis sumpsit: ex quonam eam sumpserit, in incerto relinquendum. Ceterum Valerium Plutarchus non saepius quam bis citavit, hoc loco et v. Marc. 30, ubi Valerio et Cornelio Nepoti opposuit Livium et Augustum. Ex Nicolao autem hic tantum nominato vix aliquid hausisse Plutarchum iam supra demonstravimus.

II.

Plutarchi vita Antonii in duas partes ambitu maxime dispares dividenda est, quarum una (cap. 1—22) res gestas legati et socii Caesariani usque ad interitum Cassii Brutique continet, altera pars (c. 23—87) cetera complectitur, quibuscum aliae Plutarchi vitae comparari non possunt.

Capita 12—14. quae ad coniurationem Bruti et Cassii pertinent, e libello Empyli hausta esse p. 3—18 ostendimus, et capita 15—21 quibus de causis ex alio libro atque ex Asinii Pollionis historiis sumpta sint, p. 18—32 demonstrare conati sumus.

Asinius autem, quo duce bellum inter Caesarem et Pompeium gestum a Plutarcho enarratum esse supra vidimus, num etiam in vitae Antonii capitibus 5—8, quae ad idem tempus spectant, auctor Plutarchi fuerit, quaerere haud alienum a proposito nostro videtur.

Qua opera quoque eventu Curio et Antonius plebis tribuni Caesarem Gallia subacta ab optimatibus lacessitum et contra Pompeium bellum parantem adiuverint, Plutarchus primum in v. Caes. 29—31 narravit, deinde in v. Pomp. 58—59 paucis rebus additis repetivit, postremum in v. Ant. 5 ita composuit, ut Antonii industriam quam maxime illustraret. Nec dubium est, quin in tribus vitis haec narrans Plutarchus vestigia eiusdem auctoris presserit, ac si quando sibi non constare videtur, id propterea fieri potuit, quod auctore iterum non abhibito aut leviter tantum inspecto memoria deceptus est. Itaque iniuria Drumannum in his rebus tractandis (Hist. Rom. III. Iulii 31. §. 38) saepius unam tantum trium vitarum citasse arbitror, veluti p. 397. adn. 7. p. 398. adn. 10. p. 399. adn. 14. p. 407. adn. 63. Vera enim narratio plerumque in vit. Caes. tradita est aut omnibus tribus vitis collatis perspici potest. Quod pauca exempla docebunt. Plutarchus v. Caes. 30 testatur consules senatum consuluisse, num censeret, ut Pompeius exercitum dimitteret, et iterum, num Caesar, et cum in posteriorem sententiam fere omnes ivissent, rogavisse Antonium, nonne utrique imperium esset deponendum. Quam rogationem Curionem tulisse recte tradidit idem v. Pomp. 58, false Curionem etiam primam et alteram sententiam rogavisse, quae nisi a consulibus rogatae ineptae esse videntur. Porro in v. Caes. 30 res meliore ordine distinctae sunt quam in v. Pomp. 58. Atque ea quae Curioni tribui debebantur compluries ad Antonium relata sunt, qui quamquam uterque eodem modo rebus Caesaris prospexit, non eodem tempore plebis tribuni fuerunt, sed Curio usque ad a. d. IV idus Dec. Antonius inde ab hoc die. Curionem autem cum tribunatu abisset, ad Caesarem profectum cum literis Romam reversum una cum Cassio et Antonio fugisse

scimus ex App. II, 33. Plutarchus v. Caes. 31 Curionis et Antonii tantum, v. Ant. 5 Antonii et Cassii tantum mentionem facit. Ceterum si cum Plutarcho Appianum II, 25—33 contuleris, quamvis primo adspectu, cum plurima ex altero tantum comperta sint, narratio harum rerum fortasse diversa esse videatur, tamen ipsis his capitibus summam esse similitudinem maxime apparet ex Dionis mirum in modum ab utroque discrepantis libri 40 capite 41. Omnino quae illo tempore in urbe et in senatu acta sunt, accurate neque Appianus neque Plutarchus neque Dio tradidit (Drum. III, 386 adn.), sed omnes tres parum temporum rationem habuerunt. Nullo modo tamen Appianus et Plutarchus inter se dissentiunt, nisi forte id in discrepantiarum numero habes quod ab Appiano (II, 25) Caesar, a Plutarcho (Caes. 29. Pomp. 53) tribunus quidam militum, manu ad gladii capulum admota dixisse traditur „Hic mihi impetrabit.“ (Drum. III, 406. I, 332). Verba autem interdum verbis respondere negari nequit.

Plut. v. Caes. 29, 9.

Νεοκωμίτας γὰρ ἔναγχος ὑπὸ Καίσαρος ἐν Γαλατίᾳ κατῳκισμένους ἀφῃροῦντο τῆς πολιτείας· καὶ Μάρκελλος ὑπατεύων ἕνα τῶν ἐκεῖ βουλευτῶν εἰς Ῥώμην ἀφικόμενον ᾔκιστο ῥάβδοις, ἐπιλέγων, ὡς ταῦτα τοῦ μὴ Ῥωμαῖον εἶναι παράσημα προςτίθησιν αὐτῷ καὶ δεικνύειν ἀπιόντα Καίσαρι κελεύει.

App. II, 26, 22.

πόλιν δὲ Νεόκωμον ὁ Καῖσαρ ἐς Λατίου δίκαιον ἐπὶ τῶν Ἄλπεων ᾠκίκει, ὧν ὅσοι κατ' ἔτος ἦρχον, ἐγίγνοντο Ῥωμαίων πολῖται· τόδε γὰρ ἰσχύει τὸ Λάτιον. τῶν οὖν Νεοκώμων τινά, ἄρχοντά τε αὐτοῖς γενόμενον καὶ παρὰ τοῦτο Ῥωμαῖον εἶναι νομιζόμενον, ὁ Μάρκελλος ἐφ' ὕβρει τοῦ Καίσαρος ἔξηνε ῥάβδοις ἐφ' ὅτῳδή, οὐ πασχόντων τοῦτο Ῥωμαίων· καὶ τὸν νοῦν ὑπ' ὀργῆς ἀνεκάλυπτε, τὰς πληγὰς εἶναι ξενίας σύμβολον, καὶ φέρειν αὐτὰς ἐκέλευε καὶ δεικνύναι τῷ Καίσαρι.

Quam narrationem etsi erroribus non carere Drumannus (III, 383. adn. 26) ostendit, tamen non fictam esse patet ex Cic. ad Att. V, 11, 2. Eodem modo complura inter se con-

veniunt. Confer Plut. Caes. 29 et App. II, 26 Curionem et Paulum consulem largitionibus in Caesaris partes traductos esse, alterum MD talentis, quae ad basilicam dedicandam adhiberet. Deinde de legione Pompeiana a Caesare remissa confer

Plut. Caes. 29, 25.

Ὁ δὲ ἀποπέμπει δωρησάμενος ἕκαστον ἄνδρα πεντήκοντα καὶ διακοσίαις δραχμαῖς. Οἱ δὲ τούτους Πομπηΐῳ κομίσαντες εἰς μὲν τὸ πλῆθος οὐκ ἐπιεικεῖς οὐδὲ χρηστοὺς κατέσπειραν λόγους ὑπὲρ τοῦ Καίσαρος, αὐτὸν δὲ Πομπήϊον ἐλπίσι κεναῖς διέφθειραν, ὡς ποθούμενον ὑπὸ τῆς Καίσαρος στρατιᾶς καὶ τὰ μὲν ἐνταῦθα διὰ φθόνον πολιτείας ὑπούλου μόλις ἔχοντα, τῆς δὲ ἐκεῖ δυνάμεως ἑτοίμης ὑπαρχούσης αὐτῷ, κἂν μόνον ὑπερβάλωσιν εἰς Ἰταλίαν εὐθὺς ἐσομένης πρὸς ἐκεῖνον . . . . Ἐπὶ τούτοις Πομπήϊος ἐχαυνοῦτο· καὶ παρασκευῆς μὲν ἠμέλει στρατιωτῶν, ὡς μὴ δεδοικώς . . . .

App. II. 29, 1.

Ὁ δ' αὐτό, τιμήσας ἕκαστον ἄνδρα δραχμαῖς πεντήκοντα καὶ διακοσίαις, ἀπέπεμπεν ἐς Ῥώμην . . . . 30, 5 οἱ δ' ἐπ' αὐτὰ πεμφθέντες ὑπὸ τοῦ Πομπηίου πρὸς Καίσαρα ἄλλα τε πολλὰ δυσχερῆ κατὰ τοῦ Καίσαρος διεθρόουν, καὶ ἰσχυρίζοντο τῷ Πομπηίῳ τὴν στρατιὰν Καίσαρος τετρυμένην τε πόνῳ καὶ χρόνῳ, καὶ τὰ οἴκοι ποθοῦσαν, μεταθήσεσθαι πρὸς αὐτὸν ὅτε τὰ Ἄλπεια διέλθοιεν . . . . ὁ δὲ Πομπήϊος τοῖς ἠγγελμένοις πίσυνος οὔτε στρατιὰν οὔτε παρασκευὴν ὡς ἐς τοσοῦτον ἔργον ἤγειρεν.

De Curione Appianus quidem accuratius egit, sed pauca illa a Plutarcho tradita congruunt. Nam postquam Appianus (II, 27) tradidit Curionem cum Claudius consul de successoribus Caesari mittendis egisset, sententia laudata postulavisse, ut etiam Pompeius provincias deponeret, pergit his verbis 27 v. 31 ὧδε γὰρ ἔσεσθαι τῇ πόλει καθαρὰν καὶ πανταχόθεν ἀδεῆ τὴν πολιτείαν. Cf. Plut. Caes. 30, 16 ἀμφοτέρους ἰδιώτας γενομένους εὑρίσκεσθαί τι παρὰ τῶν πολιτῶν ἀγαθόν. Senatu dimisso — Plutarchus Pomp. 58

ordinem rerum commutavit — ad Curionem plebs salutandi causa venit.

Plut. Caes. 30, 19.

Ταῦτα προκαλούμενος ἐν τῷ δήμῳ Κουρίων ὑπὲρ Καίσαρος ἐκροτεῖτο λαμπρῶς· οἱ δὲ καὶ στεφάνους ἐπ' αὐτὸν ὥςπερ ἀθλητὴν ἀνθοβολοῦντες ἠφίεσαν.

App. II. 27, 9.

ὁ δῆμος ἐπῄνει τὸν Κουρίωνα ... καί ποτε καὶ παρέπεμψαν αὐτὸν ἀνθοβολοῦντες ὥσπερ ἀθλητὴν μεγάλου καὶ δυσχεροῦς ἀγῶνος.

Senatu iterum convocato viginti et duos tantum senatores uterque testatur postremum in sententiam Curionis non ivisse. Qua re Claudius Marcellus iratus — verba eius Plut. Caes. 30, 2 et App. II, 30, 28 coniungenda sunt — et ex urbe egressus Pompeium arma adversus Caesarem ferre iussit. (App. 31. Plut. Pomp. 59). Contra tribunus plebis poposcit, ne quis Pompeio milites conscribenti nomen daret. Plut. Ant. 5, 20 *οὓς δὲ Πομπήϊος καταλέγει, μὴ προσέχωσιν αὐτῷ·* App. II, 31, 14 *καὶ τοὺς ὑπάτους ἠξίου κηρύσσειν μηδένα πω καταλέγοντι πείθεσθαι Πομπηίῳ.* Paulo post pacis condiciones a Caesaris legatis feruntur.

Plut. Caes. 31, 5.

Ἐπεὶ δὲ παρὰ Καίσαρος ἧκον ἐπιστολαὶ μετριάζειν δοκοῦντος (ἠξίου γὰρ ἀφεὶς τὰ ἄλλα πάντα τὴν ἐντὸς Ἄλπεων καὶ τὸ Ἰλλυρικὸν μετὰ δυοῖν ταγμάτων αὐτῷ δοθῆναι, μέχρι οὗ τὴν δευτέραν ὑπατείαν μέτεισι) .... Πομπηΐου δὲ καμπτομένου καὶ διδόντος οἱ περὶ Λέντλον οὐκ εἴων ὑπατεύοντες ....

App. II. 32, 29.

τοὺς οὖν φίλους ἐκέλευεν ὑπὲρ αὐτοῦ συμβῆναι, τὰ μὲν ἄλλα αὐτὸν ἔθνη καὶ στρατόπεδα ἀποθήσεσθαι, μόνα δ' ἕξειν δύο τέλη καὶ τὴν Ἰλλυρίδα μετὰ τῆς ἐντὸς Ἄλπεων Γαλατίας, ἕως ὕπατος ἀποδειχθείη. καὶ Πομπηΐῳ μὲν ἀρκεῖν ἐδόκει, κατακωλυόντων δὲ τῶν ὑπάτων ....

Ciceronem quoque omnia fecisse, ne armis decerneretur, Plutarchus quidem refert (v. Caes. 31. Pomp. 59), non Appianus, quem rarissime et animo iniquo Ciceronem commemorare supra diximus. Accedit, quod dubitari potest (Drum.

III, 400 sqq.) an recte traditum sit Ciceronem animos inimicorum placare studuisse. Omnino auctorem uterque non totum exscripsit, sed alter delegit, quae alter praetermisit, veluti sola apud Plutarchum v. Caes. 30, Pomp. 59 mentio fit vestem esse mutatam. Alia a Plutarcho perstricta Appianus multis verbis exposuit. Ut exemplum afferamus de multis unum, Plutarchus Ant. 5 dicit Antonium e senatu exeuntem multa mala illis exoptavisse. Quae accurate descripta leges, si App. II, 33 contuleris. Denique quomodo plebis tribuni ad Caesarem confugerint, ab utroque eadem ratione narratur.

Plut. Ant. 5. p. 351, 6.	App. II, 33, 28.
λαβὼν δὲ θεράποντος ἐσθῆτα καὶ μισθωσάμενος μετὰ Κασσίου Κοΐντου ζεῦγος ἐξώρμησε πρὸς Καίσαρα.	*συνεξέθεον δ' αὐτῷ Κουρίων τε καὶ Κάσσιος ...*
Plutarchus Curionis, cuius mentionem facit v. Caes. 31, hoc loco oblitus recte meminit Cassii.	*οἵδε μὲν δὴ τάχει πολλῷ πρὸς Καίσαρα, νυκτὸς αὐτίκα, λαθόντες ἐχώρουν ἐπὶ ὀχήματος μισθωτοῦ, θεραπόντων ἐσθῆτας ἐνδύντες.*

Ex omnibus his locis simillimis, qui iis adiciendi sunt, quos H. Peterus p. 125 enumeravit et ego supra p. 13 commemoravi, cum in bello inter Pompeium et Caesarem gesto enarrando Appianus et Plutarchus Asinii Pollionis historias secuti sint, apparet etiam vitae Antonii quinti capitis auctorem Asinium fuisse, sive Plutarchus ea quae ad Antonium spectant ex ipso fonte sive e vitis ante scriptis hausit sive, quod veri simillimum videtur, memoria repetivit.

Pari ratione de sequentibus iudicandum erit, nisi plane contrarie rem se habere demonstrari poterit. Ex capite sexto, quod causas et initia belli civilis continet, nihil aliud cum Appiano conferri potest nisi hoc:

Plut. Ant. 6, 31.	App. II. 41, 12.
Λεπίδῳ μὲν στρατηγοῦντι τὴν Ῥώμην, Ἀντωνίῳ δὲ δημαρχοῦντι τὰ στρατεύματα καὶ τὴν Ἰταλίαν ἐπέτρεψεν.	*Λέπιδον δὲ Αἰμίλιον ἐφίστη τῇ πόλει, καὶ τὸν δήμαρχον Μάρκον Ἀντώνιον τῇ Ἰταλίᾳ καὶ τῷ περὶ αὐτὴν στρατῷ.*

Cetera aut Plutarchus levissime attigit, aut Appianus prorsus praetermisit. Idem dicendum est de capite octavo, quo Antonium apud Pharsalum sinistro lateri praefectum et magistrum equitum Romam revertisse Plutarchus refert. Contra quanta audacia Antonius in Epirum transvectus sit, et Plutarchus Ant. 7 et Appianus II, 59 literis mandaverunt. Neque inter se discrepant. Nam quod Appianus portum, in quem Antonius se recepit, *Νυμφαῖον*, Plutarchus *Λίσσον* appellavit, id facile explicari potest e Caes. B. C. III, 26. „Nacti portum, qui appellatur Nymphaeum, ultra Lissum milia passuum tria.“ Neque ex ipso Caesare Plutarchum hausisse inde patet, quod Antonii quoque naves ad scopulos appulsas in summum periculum incidisse Caesar non tradidit. Similitudo autem narrationum Appiani et Plutarchi maxime apparet, si Dionis (41, 48) diversissimam narrationem comparaveris.

In capitibus 9—11 nihil est, quocum Appianum conferamus, qui cursum Caesaris victoriarum in Aegyptum et Asiam secutus brevissime memorat (II, 92) Antonium magistrum equitum Romae in seditionibus sedandis versatum esse. Plutarchum tamen auctorem, quo adhuc usus esset, nondum reliquisse conici saltem licet. Constat enim una cum Antonio in urbe fuisse Asinium, fortasse collegam Trebellii plebis tribuni, iuxta quem nomen Asinii positum est (Plut. Ant. 9). Cuius rei cum sola apud Plutarchum mentio exstet (Dio 42, 29. Thorbecke p. 9), cum res, quibus ipse interfuisset, ab Asinio praetermissas esse credi non liceat, nitium capitis 9 et caput 11, quo inimicitia inter Antonium et Dolabellam anno 44 ineunte coorta narrata est, ex Asinio Plutarchum exscripsisse non veri dissimile videtur. At contra in reliqua parte capitis 9 et in capite 10 libidinum Antonii intemperantia accuratius descripta atque acrius vituperata est, unde facile colligas Asinio socio et legato Antonii hoc loco Plutarchum usum non esse. Neque pro certo affirmaverim in capitibus 1—4 aliquid ex illo auctore sumptum esse, quamvis complura a consilio historiarum Asinii non plane ab-

horreant. Unde omnes illae narrationes manaverint, vix facilius inveniri potest quam origo primorum capitum plurimarum vitarum. Quodsi multas variasque res in illis quattuor capitibus compositas, cum breviter tum copiose tractatas neque apte inter se coniunctas et satis graves neglectas esse veluti Antonium duce Caesare in Gallia pugnavisse reputaverimus, narrationes omnes ex uno libro non depromptas, sed undique conquisitas esse facile intellegemus. In capite 3 Antonium in bello a Gabinio adversus Ptolemaeum gesto summa prudentia ac virtute excelluisse satis copiose quidem relatum est, tamen etiamsi quae Dio 39, 55—58, Iosephus A. I. 14. c. 5—6. B. I. 1. c. 8, Appianus Syr. 51 tradiderunt, contulerimus, non multum lucrabimur. Iosephus sane res Gabinii in Iudaea gestas accurate pertractavit, sed omnes iter in Aepyptum factum paucissimis absolverunt.

In tota priore huius vitae parte Ciceronis tantum (c. 6 et 9) et Antonii (c. 2 et 10) auctoritatem Plutarchus affert. In aperto autem est neque Ciceronis Philippicas (Plut. Ant. v. 6 *Κικέρων ἐν τοῖς Φιλιππικοῖς*) neque Antonii orationes contra Ciceronem habitas et scriptas (Plut. Cic. 41) *Ἀντώνιος . . . ἐν ταῖς πρὸς τοὺς Φιλιππικοὺς ἀντιγραφαῖς*) Plutarchum tam diligenter atque accurate perscrutatum esse, ut tanti laboris fructum aliquem perciperet. Neque tamen prorsus negaverim illum ipsum sive paucas sive omnes illas orationes cursim legisse, ut complura memoria teneret. Sunt enim in priore parte vitae Antonii, maxime in cap. 9, quae cum Ciceronis Philippica altera valde congruant. Confer Plut. Ant. 9, 14 cum Cic. 2. Phil. §. 63: in Hippiae nuptiis Antonium tantum vini exhausisse, ut postridie in populi Romani conspectu vomeret. Plut. Ant. 10, 25 cum Cic. 2 Phil. §. 77: Antonium Narbone subito Romam reversum capite obvoluto nocte ad Fulviam uxorem venisse. Quod utut est, hoc certissimum est Plutarchum neutrius opprobriis nimiam fidem tribuisse. Dicit enim de Antonio (c. 2, 32) *Τοῦτο μὲν ὁμολογουμένως ψεῦδός ἐστιν*, de Cicerone (v. Ant. 6, 13) *Κικέρων ἐν τοῖς Φιλλιππικοῖς ἔγραψε, τοῦ μὲν*

Τρωϊκοῦ πολέμου τὴν Ἑλένην, τοῦ δ' ἐμφυλίου τὸν Ἀντώνιον ἀρχὴν γενέσθαι, περιφανῶς ψευδόμενος. Cf. 2 Phil. §. 55. Ut Helena Trojanis, sic iste huic rei publicae belli causa, causa pestis atque exitii fuit.

Altera huius vitae pars priore multum praestat et genere orationis aequabiliter profluente et abundantia rerum, quae aliunde compertae non sunt. In hac parte copiose neque inepte expositum legimus, in quantam luxuriam ac licentiam Antonius se effuderit, qui Bruto et Cassio pugna Philippensi superatis transmarinas provincias petit ad colligendas pecunias militibus promissas, et quantis illecebris et fallaciis imperatorem devinctum et constrictum Cleopatra perdiderit. Bellum deinde ab Antonio contra Parthos gestum, controversiae inter Octavianum et Antonium iam saepius sedatae, denique ad arma civilia adductae, pugna Actiaca, exitium Antonii et Cleopatrae, haec omnia pari et verborum et rerum ubertate enarrata sunt. Quae Plutarchus ex auctore egregio sumpsisse videtur et ad propositum suum tam accommodato, ut inveniret ea ipsa quae quaerebat, res ordine et accurate narratas, quae ad vitam moresque hominum describendorum plurimum valerent. Sed quis sit, etiamsi nihil neglexeris, quo auctor indicari videatur, perspicere difficile erit.

E libris scriptis non omnia se sumpsisse, sed etiam, quae sibi narrata essent, tradidisse Plutarchus ipse apertis verbis indicavit. De immanibus enim iacturis infinitisque sumptibus, quos in coenam Antonius et Cleopatra facere soliti essent, et de puerili Antylli largitate Lampriam avum suum a Philota quodam medico Amphissensi tunc Alexandriae versato certiorem factum sibi narravisse dicit c. 28. p. 370. v. 9 et v. 24 et p. 371. v. 15, proavum Nicarchum c. 68 v. 12 de maximis oneribus, quibus, cum inter Antonium et Octavianum apud Actium debellaretur, Athenienses pressi essent. Neque alienum est putare complura huiusce modi avos nepoti rettulisse aut ab ipsis visa aut ab aequalibus comperta, quorum vestigia in iis exstare videntur quae de vitae rationibus et rebus Athenis ab Antonio gestis c. 23 et 33 narrantur.

Refugit deinde Plutarchus ad auctoritatem Dellii (59), Augusti (68), Olympi, quem medicum Cleopatrae familiarem de reginae postremis saltem vitae diebus aliquid literis mandavisse scimus ex c. 82, 5 *Ἦν δὲ ἰατρὸς αὐτῇ συνήϑης Ὄλυμπος, ᾧ φράσασα τἀληϑὲς ἐχρῆτο συμβούλῳ καὶ συνεργῷ τῆς καϑαιρέσεως, ὡς αὐτὸς ὁ Ὄλυμπος εἴρηκεν ἱστορίαν τινὰ τῶν πραγμάτων τούτων ἐκδεδωκώς.* Quo scripto Plutarchum diligenter usum esse neque equidem credo neque H. Petero assentior, qui p. 145 illam opinionem ita refutandam esse censuit, quasi narratio accurata et plena medici Cleopatrae amicissimi haud dubie tantum apud Plutarchum valuisset, ut reginam malum genium fuisse Antonii non iudicaret. Quamquam non solum res et facta Olympum tradidisse, sed omni ratione reginae partibus faventem literis quoque eam defendisse negare in animo mihi non est, tamen iudicium totius antiquitatis in fundamento stabiliori positum esse arbitror, quam quod libello illius medici everti possit. Quod confirmari mihi videtur simillimis sententiis Appiani, Dionis Cassii, Plutarchi, qui iudicare non dubitaverunt Antonium tanto in Cleopatram amore inflammatum ab interitu vindicari non potuisse. Cf. Plut. Ant. 25 *Τοιούτῳ δ' οὖν ὄντι τὴν φύσιν Ἀντωνίῳ τελευταῖον κακὸν ὁ Κλεοπάτρας ἔρως ἐπιγενόμενος καὶ πολλὰ τῶν ἔτι κρυπτομένων ἐν αὐτῷ καὶ ἀτρεμούντων παϑῶν ἐγείρας καὶ ἀναβακχεύσας, εἴ τι χρηστὸν ἢ σωτήριον ὅμως ἀντεῖχεν, ἠφάνισε καὶ προςδιέφϑειρεν.* App. V, 1. *ὁ δὲ ἔρως ὅδε αὐτοῖς τε ἐκείνοις ἐς ἔσχατον ἔληξε κακοῦ καὶ ὅλῃ Αἰγύπτῳ ἐπ' ἐκείνοις.* App. V, 9, 24 *οὕτω μὲν δ' Ἀντώνιος ἐνήλλακτο ταχέως, καὶ τὸ πάϑος αὐτῷ τοῦτο ἀρχὴ καὶ τέλος τῶν ἔπειτα κακῶν ἐγένετο.* Dio 48, 24 *κἀν τούτῳ τῆς Κλεοπάτρας ἐν Κιλικίᾳ οἱ ὀφϑείσης ἐρασϑεὶς οὐκέτ' οὐδεμίαν τοῦ καλοῦ φροντίδ' ἐποιήσατο, ἀλλὰ τῇ τε Αἰγυπτίᾳ ἐδούλευε καὶ τῷ ἐκείνης ἔρωτι ἐσχόλαζεν.* Olympum autem si ducem Plutarchus sibi elegit, utrum ipso libro usus sit an alio auctore adhibito illius vestigia presserit, et quo pacto quantoque opere, id tum demum constitui

posse arbitror, cum auctor ille egregius plurimorum capitum inventus erit.

Verum hanc quaestionem, unde Plutarchus ea habuerit, quae in c. 37—52 de bello Parthico ab Antonio infeliciter gesto copiose exposuit, hunc in modum solutam esse mihi persuasum est, ut iis indiciis, quibus Heerenius et Peterus Dellium Plutarchi ducem fuisse ostenderunt vix aliquid novi addi possit. Duo autem sunt indicia, quorum unum apud Strabonem XI. p. 523[e] legitur *ὥς φησιν ὁ Δέλλιος ὁ τοῦ Ἀντωνίου φίλος συγγράψας τὴν ἐπὶ Παρθυαίους αὐτοῦ στρατείαν, ἐν ᾗ παρῆν καὶ αὐτὸς ἡγεμονίαν ἔχων*, alterum apud Plutarchum v. Ant. 59, 22 *ὧν* (qui ab Antonio ad Caesarem Octavianum desciverunt) *καὶ Μάρκος ἦν Σιλανὸς καὶ Δέλλιος ὁ ἱστορικός. Οὗτος δὲ καὶ δεῖσαί φησιν ἐπιβουλὴν ἐκ Κλεοπάτρας, Γλαύκου τοῦ ἰατροῦ φράσαντος αὐτῷ.* Qua in re Heerenium Peterus iure secutus est. Ac si quis forte dixerit Dellium „bellorum illum desultorem" tanto erga Antonium studio historias non composuisse, eum Peterus verbis Strabonis *ὁ τοῦ Ἀντωνίου φίλος* sagaciter redarguit neque minus recte monuit, ne toti narrationi Dellii nimia fides tribuatur.

Restat, ut de fonte ceterorum capitum 23—36 et 53—87 disseramus. Heerenius sane p. 178 sqq. satis confidenter affirmavit ad neminem alium ea referenda esse nisi ad ipsum Caesarem Augustum dixitque extra dubitationis aleam id positum esse. Si vero quaeritur, quae documenta allata sint, Heerenius refugit ad Plutarchum testantem se commentarios Augusti ante oculos habuisse, quod ex c. 68 colligi non posse nostra aetate nemo negabit, ad laudes, quibus auctor res Augusti atque sororis Octaviae illustret, ad opprobria quibus Antonii famam minuere studeat, ad singula quae a Caesaris Augusti commentariis non abhorreant veluti prodigia ante proelium Actiacum facta, denique ad totius narrationis colorem atque indolem, in qua illius genius agnoscatur. Cui argumentationi id maxime obstat, quod in Cleopatrae moribus, illecebris, artificiis describendis Augustum

tanto studio et voluptate versatum esse minime credi potest. Sane quidem vidit ipse et collocutus est cum femina illa, cuius amore olim pater arserat, tunc adversarius perniciosissimus devinctus in perniciem incurrerat. Sed tamen considerandum est, num his rebus Augustus precibus et lacrimis in colloquio illo fictis non motus eo adduci potuerit, ut referret, quo consilio Cleopatra ad Antonium profectura a Dellio adiuta esset (c. 25), ut adventum Veneris Tarsum ad Dionysum vectae tanto splendore exornaret (c. 26), venustatem gratiamque illius atque plurimarum linguarum scientiam laudibus celebraret (c. 27), denique ut de nugis et deliciis, quibus imperator et regina Alexandriae tempus triverunt, et de approbationibus Alexandrinorum tam leniter iudicaret, ut quasi iocari videretur (29). Neque aliter res se habet in capitibus 53 et 56, ubi narratum est Cleopatram omnes artes, suas insidias et calumnias adulatorum, conquisivisse, ut Antonium teneret et armis certaturum sequeretur. Atque idem de omnibus capitibus valet, in quibus Cleopatra primas partes agit. Ne ea quidem, quae praecipue ad Octaviam et Augustum pertinent, ex huius commentariis Plutarchus deprompsisse videtur. Nam quae c. 30—34 de Augusti cum Antonio reconciliatione, de Octaviae nuptiis, de foedere cum Pompeio apud Misenum icto leguntur, omnia sine ira et studio scripta sunt. Porro num putandus est Augustus ludos levissimos ad vincendum summum adversarium adhibitos praedicavisse? Num in bello Actiaco enarrando cum voluptate quadam doli illius recordatus esse, quo ab Antonio impeditus est ne primis diebus impetum faceret (c. 63)? Nonne silentio obruisse liberalitatem, qua Domitium ad hostem transeuntem Antonius affecit? Nonne de credulitate atque indulgentia inimici acrius existimavisse, quam c. 24 Plutarchus existimavit? Neque crediderim ex Augusti commentariis sententias huiusce modi sumptas esse. Plut. Ant. 34, 30 *ἐβεβαίωσε τὸν περὶ Ἀντωνίου λεγόμενον καὶ Καίσαρος λόγον, ὡς εὐτυχέστεροι δὶ ἑτέρων ἦσαν ἢ δι' αὑτῶν στρατηγεῖν*, c. 54 p. 398, 29. *Ὅθεν ἐν τοῖς μεγίστοις ἁμαρτήμασιν Ἀντωνίου τὴν ἀναβολὴν τοῦ πο-*

λέμου τίθενται. 59, 3 Ἀλλὰ τούτων μὲν ἐδόκει τὰ πλεῖστα καταψεύδεσθαι Καλουΐσιος. Neque Heerenio Peterus assensus est, sed argumentis non allatis p. 146 dixit complura sibi legenti occurrisse, quae ex ipsis Augusti libris a Plutarcho hausta esse negaret et in incerto relinqueret num alio modo inde fluxissent.

In aliam autem opinionem Peterus incidit, cui ego non accedam. Is enim arbitratur in Antonii indole animi et ingenii describenda maxime in priore vitae parte Plutarchum sibi non constitisse. Verum ubi virtutes cum vitiis in unius hominis natura mixtae atque coniunctae sunt, nec laudes nec vituperationes deesse debent. Plutarchus laudavit quidem Antonii in bello audaciam et prudentiam (3, 25), in miseriis constantiam (17), studium magnarum rerum (3, 6), animum erga milites comem et humanum (4), in amicos largum et liberalem (4), simplicem atque apertum, cavillationibus indulgentem (24), sed tamen nullam occasionem omisit, qua illius animi levitatem, ostentationem, ambitionem, luxuriam, libidinem, lasciviam, socordiam detegeret atque illustraret. Neque acriori iudicio quam quo debuit, is damnatus esse videtur, qui amore insanissimo omnibus animi pravis contentionibus excitatis, bonis pessum datis eo adductus est, ut meretricem secutus uxorem egregiam abigeret et exercitu deserto infamia atque dedecore opertus e pugna fugeret.

Postremum postquam, quare Augusti libris Plutarchum usum esse veri dissimillimum sit, si non argumentis ostendi, tamen causas universe significavi, illam coniecturam praetermittendam non esse puto, qua Dellium scriptorem illum belli Parthici in ceteris quoque partibus Plutarchi ducem fuisse iudicaverunt. Dellii in vita nostra bis mentio facta est, primum c. 25, ubi legatum ab Antonio in Aegyptum missum consilio quodam gratiam Cleopatrae eum sibi conciliavisse, iterum c. 59, ubi insidias eiusdem veritum ab Antonio descivisse legimus. Ex eodem loco supra iam transcripto satis certe apparet Dellium in historiis vel commentariis suis exposuisse, quibus de causis veris seu fictis descivisset. Deinde id pro certo habemus

auctorem Plutarchi verum statum Antonii et Cleopatrae rerum optime intellexisse, praecipue Cleopatrae animum, naturam, consilia perspexisse et de luxuria libidinibusque, in quibus Alexandriae non minus quam imperator socii versati sunt, leniter iudicavisse. Porro ad Dellii historias optime quadrare mihi videtur, quod Antonius, a quo Dellius descivit, plerumque indulgentia quadam tractatus maximas vituperationes non effugit, et Augustus, ad quem ille transiit, atque Octavia semper summo honore habentur. Sane quidem quae post proelium Actiacum ab Antonio et Cleopatra gesta sunt, Dellius suis oculis non vidit; quoniam vero qua ratione ii interissent, quorum partibus olim favisset, tunc obstaret, penitus cognoscere illius plurimum intererat, diligentissime eum de postremis diebus quid constaret, exquisivisse et sciscitatum esse probabile videtur. Minime vero id neglegendum erit, de Dellii historiis nihil certi nobis notum esse. Itaque etiamsi coniciamus illo duce Plutarchum usum esse fortasse in tota posteriori parte, tamen caveamus, ne aliis argumentis deficientibus id pro certo affirmemus.

Carolus Wichmann de vita sua.

Natus sum Kiliae a. d. IV Id. Aug. a. h. s. XLVIII parentibus Augusto et Maria e gente Lea, qui, cum Dani patri iuris consulto interdixissent, ne causas agere pergeret, a. LIV Coloniam Agrippinensem, inde quinque fere annis peractis Lubecam migraverunt, ubi adhuc superstites pio gratoque animo veneror. Literarum primordiis Kiliae et Coloniae in schola elementaria evangelica imbutus Lubecae gymnasium per novem annos frequentavi disciplina usus inprimis professorum Baumeisteri, Dettmeri, Mantelsi, Prieni et directoris Breieri. Ineunte anno LXVIII maturitatis testimonio instructus cum Berolini simul civibus academicis adscriptus per annum militavissem, primo vere LXIX Bonnam me contuli studiis philologicis et historicis operam daturus. Ubi vero bellum Francogallicum exarsit, ad arma vocatus duce Goebeno pugnavi in agris qui olim fuerunt Mediomatricorum et Ambianorum. Anno fere expleto cum ab exercitu dimissus revertissem, reliquum tempus aestatis LXXI Bonnae degi. Deinde per ter sex menses Lipsiae eo maiori ardore, quo saepius ac diutius studia iam interrupta erant, me literis dedi et ineunte a. LXXIII tertium adii academiam Bonnensem. Docuerunt me Droysen Berolinensis, J. Bernays, Buecheler, Hiller, O. Jahn, Schaefer, Springer, de Sybel, Usener Bonnenses, M. Bernays, G. Curtius, Drobisch, L. Lange, Philippi, Fr. Ritschl, Voigt, Zarncke Lipsienses. Praeterea Hilleri benignitate mihi est permissum, ut illius exercitationibus philologicis per bis sex menses interessem; sodalem autem ordinarium seminarii historici me esse benevolentissime Schaefer et Sybel voluerunt. Quibus praeceptoribus omnibus gratias ago quam maximas; praecipue vero me sibi devinxit Arnoldus Schaeferus, qui summa comitate atque humanitate studiis meis favit.

Sententiae controversae.

1. Recte Plutarchus tradidit v. Caes. 67, 30 *Μεθ' ἡμέραν* (a. d. XVII Kal. April.) *δὲ τῶν περὶ Βροῦτον κατελθόντων καὶ ποιησαμένων λόγους* . . . et v. Brut. 19 *οὐ μὴν ἀλλὰ τῇ ὑστεραίᾳ* (a. d. XVI Kal. Apr.) *τῆς βουλῆς συνελθούσης εἰς τὸ τῆς Γῆς ἱερὸν* . . . .
2. Cum Cic. ad Att. XIV, 6 in. 7 in. 8 in. optime congruit, quod Appianus auctor est (III, 3 et 6) ab Antonio Amatium Pseudomarium prius interfectum esse quam Brutus et Cassius ex urbe excederent.
3. Nihil impedire videtur, quominus Antistium a Plutarcho v. Brut. 25 commemoratum et Veterem illum, cuius Cicero ad Att. XIV, 9 mentionem fecit, eundem esse putemus.
4. Wijnnius in libro quem de fide et auctoritate Appiani in bellis Romanorum civilibus enarrandis Gron. 1855 scripsit, rectam in auctoribus quaerendis rationem non iniit.
5. Ammianum Marcellinum christianum non fuisse veri simillimum est.
6. Instituta Romanorum vetustissima velut comitia tributa et centuriata in gymnasiis quam brevissime perstringenda sunt, cum viri doctissimi de origine et potestate eorum valde inter se discrepent.
7. Historia nostri saeculi in scholis minime neglegenda est.